

2
3
/



1658.

1. Birnias, Henricus : De renunciationibus successio-
num.
2. Covringius, Hermannus : De ortu et mutationibus
re quorundam.
3. Hahnus, Henricus : De aestimatione.
4. Hildebrandus, Frochimus : Oratio de fundatione
Academiae Fuldae.

1659.

1. Covringius, Hermannus : De foederibus. 2. Simp.
2. Hahn, Henricus : De possessione et judicio possem.
200.
3. Hahn, Henricus : De jure offerendi.
4. Hahnus, Henricus : De intercessionibus.
5. Hahnus, Henricus : De praeventione jurisdictionis

1689.

6. Haknius, Huricus: De fuchibus
7. Hahn, Huricus: De laudatione domus et autoris.
8. Meier, Gebhard Theodorus: De re nummaria.
9. Teppius, Facobus: De methodo medicandi
10. Wernerus, ^{Georgius} Facobus: De contractibus in genere.



3081

1714

- 6. Huttenus, Antonius: De prelo
- 7. Huttenus, Antonius: De laudatione domini et imperii
- 8. Meier, Johann Theodor: De re medica
- 9. Tappin, Jacobus: De methodo medicandi
- 10. Hermannus, Sebastianus: De anatomia in genere

I
P
M

P



DISSERTATIO IN AVGVRALIS
DE FRVCTIBVS

Eorumque acquisitione, & in judiciis tam universalibus
quam particularibus, tam realibus quam personalibus,
feudalibus & ecclesiasticis facienda restitutione, nec
non qua actione in judiciis fructus petantur.

Q U A M

AUXILIANTE DEO TER OPTIMO MAXIMO
DECRETO ET AVCTORITATE
MAGNIFICI ET AMPLISSIMI IURISCON-
SULTORVM ORDINIS IN ILLVSTRI FVLIA

PRAESIDE

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atque
Excellentissimo Viro,

DN. HENRICO HAHNIO ICTO,
CODICIS PROFESSORE ORDINARIO, FA-
CULTATIS IVRIDICAE SENIORE ET P. T. DECANO,
DICASTERII VVOLLFFERBYTANI ASSESSORE
GRAVISSIMO, &c.

Promotore, Praeceptore ac Hospite suo, summo animi
cultu perpetim venerando,

PRO SVMMIS IN VTROQUE IVRE PRIVI-
LEGIIS ET HONORIBVS DOCTORALIBVS
CONSEQUENDIS
PVBLICAE CENSURAE SVBICIT

THEODORVS Meineking/ Hildesienſis.

IN AVDITORIO MAIORI.

AD D. APRILIS

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS.

HELMÆSTADI,

Typis HENNINGI MULLERI, Acad. Typ.

ANNO MDCLIX.



I. N. D. N. I. C.

DISSERTATIONIS INAUGVRALIS
DE FRVCTIBVS

THESIS. I.

Fruētuum materia, quæ fermè per ple-
rasque utriusque juris partes vagatur, non in-
diget quadam commendatione, cum nulla ferè
magis in usu uersetur, adeo, ut vix ulla quæstio
in iudicium deducatur, quæ non simul fructus
concernat eisdemque involvat. Quamobrem
hanc materiam licet communissimam, tamen utilissimam &
nos disquisitione & censurâ publica dignam existimamus.
Priusquam verò in fructuosum hunc campum descendamus,
non abs re nobis visum fuit quædam de Etymologia & Homo-
nymia Nominis præmittere.

Utilitas
materias
Fructuum

II. Vocabulum Fructus nonnulli à frumine, h. e. emi-
nentiore vel superiore gutturis parte, per quam cibus & potus
in ventrem demittitur, derivandum esse existimant, uti ex Isi-
doro refert Vmmius *Disput. ad process. iudic. 21. thes. 1. n. 1.* Quæ
tamen derivatio alijs non placet, cum ipsa Vox frumen à fru-
endo, h. e. Edendo veniat. Hugo Grot. *florum spars. ad l. frugem.*
ff. de Verb. signif. Alij à ferendo deducunt. Coras. *l. 7. in pr. n. 1.*
ff. solut. matrim. Et ex Varrone *lib. 4. de lingu. lat.* Dionys. Gothofred.
ad Rubric. ff. de usur. & fruct. lit. B. Vesemb. parat. ff. de usur.
num. 16.

Etymolo-
gia

III. Rectius ergo fructus Etymon à fruendo, unde præ-
teritum fructus, deducendum putamus cum Don. *tract. de fruct.*
in pr. Gædd. ad l. frugem 77. ff. de verb. sign. Beckman. de orig. L. L. verb.
Gædd. Cùm illis rebus, quas in fundo serimus, fruamur. Calvin.
in lexico suo ad vocab. fructus. Grotius. d. l.

A 2

IV.

Homonymia.

IV. Vocabulum fructus non uno eodemque modo sumitur. Nam (1) in genere de omni utilitate & accessione, redditu & obventione, quocumque item commodo, lucro & emolumento, quod vel ex ipsa re nascitur, vel causa seu occasione rei à quoquam percipi potest, prædicatur, *l. arbores. 59. §. quicquid. 1. ff. de usufr. Vmm. d. disp. th. 1.* Unde non solum naturales rei accessiones, sed & aliæ pensiones Civiles, quas Civiles fructus DD. appellare solent, fructuum nomine veniunt. *l. mercedes. 29. ff. de pet. her. l. sinavis. 62. ff. de Rei vind. l. usura. 34. l. prædiorum. 36. l. videamus. 38. §. ante. 12. ff. de usur. l. domum. 5. C. de R. V. Schrader. tract. feud. 2. part. 9. part. princ. sect. 3. num. 58.* Nec excluditur ita interesse. *l. loci. 4. §. in confessoria. 2. l. et si. 6. §. veniunt. 6. ff. si serv. vind. Rutg. Ruland. de Commissar. part. 4. lib. 6. c. 7. de fruct. n. 1.* (2) Strictè verò ea, quæ ex arboribus percipiuntur, quæque terra singulis annis nobis ad vitæ sustentationem abunde suppeditat, quæque ex ipsa re naturali nascuntur, complectitur. Sicque fructus ab usuris, à pensionibus, à mercedibus, à jumentorum vecturis cæterisque obventionibus separantur. Huc pertinet arundinetum, sylva cædua, *l. qui fundum. 40. §. cum fundum. 4. ff. de contrah. emt.* Imò olea immatura lecta, & fœnum immaturum cæsum, *l. si absente. 48. §. sylvam. 1. ff. de Usufr.* (3) Strictius non omnes, qui nascuntur ex re, sed qui deductis impensis, quibus quærentur, coguntur & conservantur, supersunt, fructus intelliguntur. *l. si à domino. 36. §. fin. ff. de pet. her. l. fructus. 7. in princ. ff. solut. matr. l. 1. C. de fruct. l. quod in fructus. 46. ff. de usur. l. fundus qui. 51. ff. fam. herc. Coppen. decis. 44. n. 33. Duaren. ad tit. C. de naut. fœn. n. Gail. lib. 2. de pac. publ. cap. 17. n. 9. Colleg. Argentorat. de usur. & fruct. th. 31.* (4) significat jus, & idem est, quod jus utendi fruendi, nihilque interest, an fructus legetur, an verò Ususfructus. *l. per servum. 14. §. ususfructus. 1. ff. de Usu & habit. l. cum ita. 41. ff. de Usu & Usufr. leg. loh. Petr. de Ferrar. form. lib. in act. real. summ. & reditibus. n. 2.* (5) Metaphoricè fœtus humanus in utero matris existens, vel partus humanus in lucem editus hoc nomine venit. *Luc. 11. Nostris improprie. l. in pecudum. 28. §. partus. 1. ff. de Usur.* (6) Sæpè etiam significat delectationem seu voluptatem. Hinc dicimus Percipere fructum ex aliqua re. Et

Cic:

Cic. *Ego fructus uberes ex literis cepi.* (7) Nonnunquam sumitur pro Utilitate. Diligentiae fructum ex aliqua re nancisci. Cic. *de Clar. Orat.* (8) Non raro in sacris Pandectis pro bonis operibus accipitur, v. c. *Facite fructus dignos poenitentia. Matth. c. 3. Copus. tr. de fruct. lib. 1. tit. 1. c. 3. n. 14.*

V. Differunt autem fructus strictè dicti ab usuris in eo; Differen-
(1) Quod usurae non naturâ perveniant, sed jure percipiuntur, tia ab usu-
l. sinavis. 62. ff. de R. V. l. deducta. 58. §. cum autem. 6. ff. ad SC. Tre-
bell. l. socium. 60. ff. pro soc. fructus verò ex re ipsa & corpore ori-
ginem trahant, & sic non diverso, sed eodem jure actionis, quo
res ipsa seu ipsum corpus exactum, exigì debeant. Idque juxta
regulam: Accessorium sequitur suum principale. l. usura. 121. ff.
de V. S. l. pen. ff. de Usu & Vusufr. leg. Calvin. lexic. ad vocem fructus.
(2) Usurae ex facto hominis extrinseco, conventionem vel mora
non solventium proveniunt. *Amplissimus Dn. D. Hahnus. in*
Observ. ad Vesemb. de usur. sub num. 2. (3) Ante litem conte-
statam etiam usurarum, non verò fructuum ratio seu causa at-
tenditur: quod tamen post litem contestatam aliter se habet,
ubi eadem ratio usurarum & fructuum obtinet. *leg. usura. 34.*
ff. de Usur. l. si deposita. 4. C. depos. Gædd. ad l. restituere. 35. ff. de
V. S.

VI. A frugibus fructus distinguuntur, ut genus à speciei A frugibus
siquidem fructus in lata significatione omne omnino emolu-
mentum, commodum & compendium quocunque modo ac-
quisitum & oblatum denotat. *l. haec verba. 73. ff. de V. S. l. item. 9.*
ff. de Vusufr. l. in frumenti. 42. ff. de Usu & usufr. leg. l. qui scit. 25. l. in
pecudum. 28. l. ult. ff. de Usur. Ioh. Copus. d. l. lib. 1. t. 1. c. 1. n. 6. Fru-
ges verò utilitati & necessitati homini tantum inserviunt. Vn-
de Metaphoricè dicitur, homo bonae frugi. *l. inde Neratius. 8. §.*
sed etsi. 5. ff. ad l. Aquil. l. cum pater. 77. §. Pater. 30. ff. de leg. 2. Gædd.
ad l. 77. ff. de V. S.

VII. Fructus & Vusus sic differunt, (1) In fructu Vusus Ab usu
quoque continetur: Vsu verò fructus deesse, & sine eo confi-
stere potest. *l. cui usus. 2. l. si habitatio. 19. l. per servum. 14. §. Vusufr.*
1. ff. de Usu & hab. l. cum ita. 40. ff. de Usu & Vusufr. leg. Vnde Vusus
tantum

tantum dicitur Necessitatis: Fructus vero & Necessitatis & Voluptatis. *Vvesemb. ad tit. inst. de Vusufr. in pr. num. 14.* Nec usufructarius potest plus ex re percipere, quam ipsi ad corpus sustentandum, suamque familiam alendam sufficit. Fructuarius vero etiam ad locupletiores se reddendum fructibus uti potest. *Vvesemb. ad tit. inst. de Vsu & hab. in pr. num. 1.* Quamvis quoad Vsum sylvæ legatum legatario plus competat juris. *l. divus Hadrianus. 22. ff. de Vsu & hab. Excellentiss. Dn. D. Hahn. in observat. ibid. n. 3.* (2) Fructuarius potest res suas perceptas vendere, locare, donare. &c. quod tamen longe aliter se habet in Usuario, qui horum nullum facere valet. *l. inque eo. 11. & l. plenum. 12. §. si usus. 5. ff. de Vsu & hab. Calvin. dict. l. Nisi de legato sylvæ agatur, ut modo diximus.*

**A meliora
mentis.**

IIX. Melioramenta etiam à fructibus differunt: quod melioramenta sint facientis bona propria: fructus verò aliorum veniant. *Casp. Clock. vot. Cam. relat. 80. num. 2.*

**Ab inter-
esse.**

IX. Denique inter interesse & fructus est talis differentia (1) interesse ex mora debitoris & utilitate actoris, vel simili causa originaria debetur: *l. arbitraria. 2. §. ult. l. centum. 8. ff. de eo quod cert. loc. l. Curabit. 5. C. de act. Emt.* Fructus autem ex ipsa re & corpore originem trahunt, *suprà thes. 5.* Et ex mora quidem debentur, *l. si quis bonorum. 23. l. cum res. 47. in pr. l. questum. 91. §. cum homo. ult. cum simil. ff. de legat. 1.* habito tamen respectu ad fructus ipsos. (2) Interesse tantummodo officio iudicis tribuitur: Usuræ vero ob moram vel conventionem. *l. quero. 54. ff. locat. l. qui per. 49. §. pretis. 1. ff. de act. Emt.* (3) Ipsum interesse incertum est: *l. procurator. 8. §. si quis. fin. ff. rem. rat. hab. §. ult. ibi. quantitas in incerto. inst. de Verb. Oblig. Fructus vero certi. Vmm. Disp. ad Process. judic. 21. th. 12. n. 70.* (4) Interesse dicitur lucrum oriens ex industria & labore personæ: *Bartol. in l. Vnic. C. Vbi conven. qui cert. loc. Mynsing. Observ. 56. cent. 4.* Fructus verò cuiusque rei commodum dicuntur & utilitas, quam res affert. *Hugo Donell. de fructib. in pr. In effectu tamen interesse idem cum fructibus esse potest. Besold. tom. 2. Consil. 4. num. 211.*

Definitio

X. Describunt quidam fructum, quod sit quævis ab aliqua re ad percipiendum domino proveniens utilitas. *Henning. Renne-*

Rennemann. iurisprud. Rom. Germ. membr. 2. de iur. rer. Disput. 4. th. 19. Alij eam definiunt, quod sit accessio rei, quæ vel ex ipso rei corpore, vel ejus occasione ad utilitatem hominis provenit. *Add. ad Colleg. Argent. de Usur. & fruct. th. 1.* Sed prior definitio nobis non placet; (1) quia in definitione saltem considerandum, quid res sit, non cui acquiratur. (2) quia non solus dominus acquirit fructus. Vnde potius illis astipulamur, qui pro domino substituunt eum qui jus in re quæsitum habet. (3) quia etiam quædam commoditates fructuum nomine veniunt, quæ ab aliqua re non proveniunt: Et propterea posteriorem descriptionem sequimur, cum illa primæ fructuum acceptioni respondeat & satis congrua videatur nostro proposito.

XI. Utilitatem loco generis non ponimus; cum detur quædam publica Utilitas, *l. ita. §. estimatio. 2. ff. adl. Aquil.* & quædam singularis, quæ dicitur Affectionis & communem estimationem longè excedit: *De qua Goedd. adl. inter hac. 179. n. 3. de V. S. Sed Accessionem. Vmm. d. l. th. 1. n. 2.* ut omnis redditus, obventio & emolumentum omne, quod ex ipso corpore seu re fructuaria, vel occasione ejus percipitur, & quicquid est in fructu denotetur. *l. Vusufructu. 7. l. item. 9. l. arbores. 59. §. quicquid. 1. ff. de Vusufr. l. si fructuarium. 13. ff. quib. mod. Vusufr. am. l. qui scit. 25. l. in pecudum. 28. ff. de Usur. l. loci 4. §. in confessoria. 2. ff. si serv. vind. adeò, ut etiam res pignori data includatur. l. fructus. 72. ff. de Reg. Jur. l. ult. ff. de Usur. Sandeus. add. l. 72.*

XII. Per Rem autem non tantum fundum, sive sit prædium rusticum sive urbanum, verum etiam omnes res mobiles & immobiles, corporales & incorporales intelligimus, *Ioh. Cop. d. l. lib. 1. r. 1. c. 4. n. 4.*

XIII. Porrò fructus sic definiti dividuntur primò in Naturales & Civiles. Naturales sunt, qui ex ipso rei corpore, naturaliter operante proveniunt, *l. qui fundum. 40. §. cum fundum. 4. ff. de contrah. Emt. l. si absente. 48. §. sylvam. 1. ff. de Vusufr.* Et hi propriè fructus dicuntur. *l. usura. 121. ff. de V. S. Rennem. d. l. Disput. 4. th. 21. lit. B.*

XIV. Civiles (qui & quasi & improprii) dicuntur, qui Civiles non tam ex corpore rei sive ipsa renascuntur, quam aliunde occasione

caſione rei, ex uſu ſcilicet & locatione, per conventionem quan-
dam & provisionem hominis percipiuntur, d. l. 121. ff. de V. S. l.
videamus. 19. l. uſura. 34. l. prediorum. 36. & paſſim. ff. de Vſur. l. quod
his. 83. ff. de legat. 2. l. is cui. 5. §. queri. 21. ff. ut in poſſ. legat. l. minor.
40. §. 1. ff. de minor. l. uſufructu. 7. leg. item. 9. ff. de Vſufruct. Et hi
revera fructus non ſunt, l. ſi navis. 62. ff. de R. V. Pro fructibus
tamen interpretatione juris habentur, ad. ll. l. mercedes. 29. ff. de
pet. her. Solentque alio nomine fructus juris vocari, Afflict. de-
ciſ. 44. n. 7. Et ſic à naturalibus apertè diſtinguuntur, Cuiac. 18.
obſervat. 3. Quamvis hanc ſpeciem expreſſe neget Copus. d. tract.
lib. 1. tit. 2. c. 3. n. 2. ad industrialem eam referens.

Naturales
vel ſunt in
ſpecie na-
les.

XV. Naturalium ſive Verorum & Propriorum fructuum
rurſus duplex eſt conſideratio. Aut enim à ſola natura, ſeu ſpon-
tè magis, quàm diligentia & factò hominis proveniunt, ſive ad
nascendi principium non deſiderant factum hominis: puta po-
ma, pira ex arboribus antea plantatis, Bernhard. Schotan. in ſuo
Exam. iuridic. ad tit. de Vſur. & fruct. Olivæ, nuceſ, ceraſa, li-
gnum, fœnum, lac, lana, herbæ ſylveſtres. l. fructus. 45. ff. de Vſur.
l. in pecud. 28. eo. §. in pecud. 37. inſt. de Rer. diviſ. §. ſi eius. 78. ff. de R. V. Et
Naturales in ſpecie dicuntur. Vmm. d. l. n. 4. VVeſ. ad §. ſi quis à non
domino 35. Inſt. de Rer. div. Aut naturâ quidem adjutrice, cæterùm
facto magis & præviâ hominum industrialiâ, curâ & culturâ pro-
ducuntur, ſive ſaltim ad nascendi principium actum & factum
hominis deſiderant. Vt ſegetes, legumina, & reliqua frumento-
rum genera in agris & hortis culturâ hominum creſcentia, d. l.
fructus l. bonæ fidei. 48. ff. de acquir. rer. dom. Item Vinum, oleum,
l. ſi eius. 78. ff. de R. V. Menoch. de recup. poſſ. rem. 15. n. 577. Ovi-
um & omnium animalium fœtus; quales agni, hædi, vituli, pul-
li. & c. Donell. 4. comm. 25. Item Piſces ſtagnorum, qui ſingulari,
ut creſcant, industrialiâ coluntur, Hartm. Piſtor. deciſ. 24. n. 55. &
59. Vocanturque industriales.

Partus an-
cillarum
non eſt in
fructu.

XIV. Partum autem ancillæ, nedum fœminæ in fructu
eſſe jura Civilia non patiuntur, expreſſ. text. in §. in pecudum, 37.
inſt. de R. D. l. ancillarum. 27. ff. de pet. her. l. qui uſus. 48. §. ex fur-
tivis. 6. ff. de furt. l. Vetus. 68. ff. de Vſufr. l. in pecudum. 28. §. 1. ff.
de Vſur. l. mulier. 22. §. ſed enim. 3. ff. ad SC. Trebell. ob rei præ-
ſtanti-

stantiam; quoniam omnes fructus rerum natura hominum gratia comparavit, *dd. ll. l. 1. ff. de Vsu & Vsufr. leg. l. arboribus. 12. ff. de Vsufruct. Rennem. d. l. th. 19. & 23. Vmm. d. l. n. 2.* Licet de fructibus hominis in restitutione hominis habeatur ratio, *l. Iulianus. 17. §. idem Iulianus. 1. & l. si hominem. 79. ff. de R. V. l. 1. C. eod. Virgin. de Bocat. tract. de Interdict. cap. 18. num. 28.*

XVII. Civiles quoque dividuntur in eos, qui vel ex conventionione, ut usurae stipulatae, redditus & census annui, mercedes seu pensiones ædium & fundorum &c. vel ob moram. v. c. interesse. &c. *l. cum servus 39. §. fructus. 1. ff. de legat. 1. vel ob operas, ut vecturam, hospitium, &c. l. si navis. 62. ff. de R. V. debentur.*

Civilium
fructuum
subdivi-
sio.

XVII. Secundò Fructus dividuntur in Consumptos & Extantes, *l. ma' a. penult. C. de Condict. ex leg. l. certum. 22. C. de R. V. Consumpti sunt, qui penes possessorem amplius non reperiuntur, si ve quod in rerum natura esse desierint, & sicutendo absumpti, si ve quod à possessore legitimo modo alienati fuerint, vel in rem versi, DD. communiter. arg. l. sedet si. 25. §. consuluit. 11. ff. de pet. her. Vmm. d. l. n. 8.* Extantes verò dicuntur, qui praesentes supersunt & inveniuntur, *l. si pignore. 22. §. si prado, 2. ff. de pignor. act. d. l. penult. C. de R. V. vel lupereffe finguntur, Fachin. 1. contrav. 58. quatenus nimirum possessor ex fructibus alienatis sit locupletior redditus. d. l. 25. §. 11. l. illud. 40. §. prado. 1. ff. de petit. hered. l. 1. C. eod. Arnold. Vinn, ad §. 2. inst. de Off. Indic.*

Fructus
consumpti

Extantes.

XIX. Extantes rursus sunt vel pendentis, vel percepti, vel futuri. Pendentis, qui & Praesentes vel Stantes, Germ. *Stehende Früchte* / dicuntur, *l. fructus. 7. §. interdum. 15. ff. sol. matr. l. si apes. 26. §. fin. ff. de furt. Vultei. discept. scholast. ult. sunt, qui adhuc rei seu corpori, ex quo sperantur & proveniunt, coherent, l. ult. §. fructibus. 6. ff. que in fraud. Cred. l. si servus. 61. §. locavi. 8. ff. de furt. Vnde nondum percepti, nec à solo separati, & solo terræve coherentes dicuntur, *l. arboribus. 12. §. Iulianus. 5. ff. de Vsur. indeque pars fundi videntur, l. fructus. 44. ff. de R. V. l. si pendentis. 27. ff. de Vsufr.* Et sic inter immobilia referrì possunt: quatenus scilicet ad fundi praesentem statum respectum habent, & iura ipsius fundi sequuntur, *Hartm. Pistor. p. 1. q. 24. n. 2. & seq. Thesaur.**

Hi sunt vel
pendentes.

B

Thesaur.

Thesaur. decis. 55. n. 1. Reinking. de iure. Retract. q. 3. n. 80. Quamvis quoad alienationem & separationem non immobiles, sed mobiles maximè dicendi fuerint. Virgin. de Bocat. d. l. n. 15. Et horum
Matuti & immaturi. *Pendentium, alij sunt maturi, l. arboribus. 12. §. Iulianus. ult. l. si pendentis. 27. pr. ff. de Vsufr. Alij immaturi. l. si absente. 48. §. sylvam. 1. ff. eod. l. si servus. 27. §. si olivam. 25. ff. ad L. Aquil. l. in fructu. 42. ff. de Vsufr. leg. l. si immaturam. 18. ff. quod vi aut clam. Copus d. tract. lib. 1. t. 2. c. 7. Ampliss. DN. D. Hahn. disposit. Pandect. ad tit. de Vsur. & fruct.*

Vel Percepti.

XX. Percepti sunt, vel re ipsa percepti, vel interpretatione juris, qui percipiendi dicuntur. Illi sunt, qui ab ipsa re & corpore separati reperiuntur, §. si quis 35. inst. de R. D. quantumvis nondum collecti vel absportati, nec dum in custodiam nostram vel horreum nostrum sint deducti, & sic in potestatem nostram redacti, l. in edibus. 9. §. 1. ff. de donat. l. si eius. 78. ff. de R. V. l. qui scit. 25. §. 1. ff. de Vsur. l. si fructuarius. 13. ff. quib. minus. am. Vultei. 1. iurispr. Rom. c. 64. n. 18. Nec hi amplius fundi pars videntur. Iohan. Coppen. decis. 30. num. 5. Berlich. p. 3. concl. 47. n. 7. Ideo huc rectè referuntur fructus demessi aut in fasciculos colligati. v. c. spica, foenum cæsum, uva adempta, excussa olea, nuces & poma dejecta, frumentum nondum tritum & vinum, vel oleum nondum factum. d. l. qui scit. 25. §. 1. ff. de Vsur. l. bonæ fidei. 48. in fin. ff. de acqu. rer. dom. Rennemann. d. l. Disp. 2. th. 12. lit. B. Vmm. d. l. n. 6. Vnde, quam primum terrâ separati, fructus mobilibus annumerantur: arg. d. l. si fructuarius. 13. Quoniam de uno ad alium locum transportari possunt. Besold. Thesaur. pract. lit. E. in voce Sährende Haab. Menoch. de recip. possess. rem. 6. n. 48.

Vel Percipiendi.

XXI. Percipiendi vocantur, quos possessor incuriâ suâ non percepit, percipi tamen honestè à diligentiori potuerunt & debuerunt. l. fructus. 33. & l. si navis. 62. ff. de R. V. l. cum servus. 39. §. fructus. 1. ff. de legat. 1. §. 2. instit. de Off. Iud. Vultei. discept. schol. c. 20.

Vel futuri.

XXII. Futuri verò sunt, qui quidem nondum sunt maturi, nec dum producti, certò tamen sperantur productum iri. l. nec emptio. 8. pr. ff. de contrah. Emt. l. cum quidam. 24. ff. de legat. 1. l. que 15. ff. de pign. & hypoth. l. interdum. 73. ff. de Verb. & Oblig. Hinc

Hinc & illos in commercium hominum venire, perinde ac jam natos, juris est indubitati. *dd. ll. Si itaque de futuris fructibus convenitur, in dubio de sequentis anni fructibus illud intelligendum: Nisi de dilatione ulteriori inter partes fuerit conventum. v. c. si primo anno post contractam obligationem nihil forsitan nasceretur, insequentibus esse expectandos. Nam & illi itidem nomine fructuum futurorum venient; quantumvis obligatio differatur, & fructuarius tamdiu expectare teneatur, donec fructus tandem nascantur. Sicque in diem erit obligatio & dilationem capiet. l. inter stipulantem. 83. §. sacram. 5. ff. de Verb. obl. Copus. d. tract. lib. 1. t. 2. c. 1. n. 4. Rennem. d. l. Disp. 4. th. 30.*

XXIII. Alij insuper fructus sunt vel aridi, vel liquidi. Illi dicuntur, qui naturâ duri. suâ sponte in humorem non resolvuntur, v. c. frumentum, hordeum, siligo, fabæ & reliqua legumina. Hi verò sunt molles & naturâ humidi, v. g. vinum, oleum. &c. *post Accurs. Copus. d. tract. lib. 1. tit. 4. cap. 1. Alij etiam fructus sunt recentes, alij veteres. Novi seu recentes sunt, qui presenti anno percepti sunt. Veteres verò prioris anni fructus solent appellari. l. vetus. 11. ff. de trit. vin. & ol. legat.*

Fructus aridi vel liquidi.

Recentes vel Veteres.

XXIV. Tandem fructus in Minutiores & Crassiores solent distingui. Hi sunt v. c. frumentum, vinum. Illi vero v. g. Fabæ, pisa, linum & similia. *c. pervenit. de dec. Quamvis per fructus crassiores omnes etiam redditus, commoda & emolumenta sacerdotum vel præbendarum intelligantur, c. ex multiplici. d. t. Copus. d. l. tit. 6. per tot.*

Minutiores vel Crassiores.

XXV. Sequitur jam, ut videamus, quinam fructus sibi acquirant, & quinam ad restitutionem eorundem teneantur. Vbi distinguimus inter bonæ & malæ fidei possessorem. Bonæ fidei possessor dicendus est, qui alienæ rei scientiam nullam habet, sed rem ad se pertinere credit, licet, à quo accepit, dominus non fuerit, aut quamvis in jure erraverit, quod fit, quando quis non quidem ignorat, eum, à quo rem sibi comparavit, dominum non esse, putavit tamen alienandi potestatem habuisse. *l. ubi lex. 24. ff. de Usucap. l. si fur. 32. §. 1. eod. l. igitur. 12. §. potest. 2. ff. de liber. caus. l. bonæ fidei. 48. ff. de acqu. rer. dom. §. si quis. 35. inst. de Rer. div. l. apud antiquos. 21. C. de furt. l. qui à quolibet. 27. ff. de contrah. emt. l. sed et si. 25. §. scire. 6. ff. de pet. her. c. si virgo. 32. q.*

Qui fructus acquirant?

Bonæ fidei possessor.

2. *Besold. p. 3. Conf. 108. num. 51. Goedd. ad l. 109. ff. de Verb. signif.* Dolus tamen & crassa juris ignorantia bonæ fidei possessorem non faciet. *Ant. Fab. in Cod. lib. 7. tit. 8. def. 25. & def. 73.* Et talis bonæ fidei possessor, licet revera dominus non sit, nec verum, sed fictum seu quasi dominium in fructibus habere putetur, dominus tamen quoad fructuum perceptionem fictione juris est credendus. *g. namque 4. inst. de action. l. bona fides. 130. & seq. & ibi Sandeus. ff. de R. I.*

Malæ fidei
possessor.

XXVI. Malæ fidei possessor vocatur, qui rem ad alium omnino pertinere novit, nec tamen vult ab aliena possessione recedere: *l. item. 20. §. petitam. 11. ff. de pet. hered. l. 2. C. eod.* Unde injustus, improbus, vel illegitimus possessor. *Goedd. ad l. 109. ff. de V. S. num. 2.* item incubator dicitur. *l. 20. C. Theodos. de pagan. sacrif. Colleg. Argentorat. de acquir. vel amitt. poss. th. 5.* Et tales quoque sunt isti, qui de jure suo dubitant, qui ex falsa causa suspicantur alienam esse: vel per leges prohibitivas rem quandam possident. v. c. fures, prædones. *l. si jur. 32. ff. de Usucap. l. qui universas. 30. §. possessionem. 1. ff. de acquir. poss. l. si fundum. 17. C. de R. V. l. si major. 13. C. de rescind. vend.* item isti, contra quos insurgit juris præsumptio. *Clock 5. relat. num. 195.* Huc referri quoque potest Creditor sine traditione & consensu debitoris possessionem occupans, sive stipulando, sive vendendo, sive aliter res promissa sit, *l. si ex stipulatione. 5. ff. de acqu. poss. Borcholt. in prim. possess. divis. c. 2. n. 7.*

Notandum

XXVII. Circa quos tamen possessores considerandum, an cum titulo, vel sine titulo possideant. h. e. an causa ad acquirendum dominium sit habilis, nec ne, an justa possessio, an verò injusta, *l. nullo. 24. C. de R. V. l. cum res. 4. C. de contrah. emt.* Deinde an titulus sit generalis, qualis pro suo dicitur, vel specialis, ut Emtio, Donatio, Successio & similes. *t. t. ff. de Usucap. l. possideri. 3. §. genera. 21. ff. de acquir. poss. l. sunt & alia. 3. cum. 3. seqq. ff. de public. in rem act.* Generalis tamen non prodest possessori, nisi accedat & specialis, eamque præcedat. *Renneman. d. l. Diss. 6. th. 7. lit. C.*

In genere
quos fru-

XXIIX. Præmissa hac distinctione, de fructuum acquisitione vel restitutione videbimus, & à bonæ fidei possessore incipi-

incipiemus. Quemadmodum itaque Dominus fructus ex re sua percipit, suosque post perceptionem jure dominij facit; quia fructus tanquam accessiones causam dominij principalem sequuntur, *l. ex diverso. 35. §. Ubi autem. 1. ff. de R. V. nec aliter, nisi jure dominij acquiruntur. l. qui scit. 25. §. 1. ff. de Vsur. Carpz., l. 1. resp. iur. Elect. tit. 8. resp. 79. n. 1. & 2. Dom. Cardinal. Tusch. tom. 4. conclus. 486. num. 13. & 14.* ita quoque bonæ fidei possessor ob bonam fidem, quæ tantundem possidenti præstat, quantum veritas, h. e. dominium domino, omnes fructus indistinctè percipere, ac suos consumendo plenè facere potest; *l. bona fides. 136. & ibi Sandæus. ff. de R. I. Quia in percipiendis fructibus merus bonæ fidei possessor idem juris habet, quod dominis prædiorum tributum est, l. qui scit. 25. §. 1. ff. de Vsur. Reinking. de jure Retract. quest. 8. conclus. 1. num. 30. & seqq.* Etiam si ipse vel alius ejus nomine perceperit, *§. si quis. 35. inst. de R. D. l. sed & loci. 4. §. post litem. 2. ff. fin. reg. d. l. qui scit. 25. §. 1. vers. præterea. juncta. l. Vusufructu. 7. l. item si. 9. ff. de Vsufr. l. questum. 40. l. Pomponius. 44. ff. de acqu. rer. dom.* Nam quod quis per alium facit, ispe facere videtur, *l. qua ratione. 9. §. nihil. 4. ff. d. t.*

aus acquirat Dominus.

Quos b. f. possessor.

XXIX. Nec distinguimus inter naturales & industriales. *l. fructus. 45. ff. de Vsur. l. questum. 40. l. bona fidei. 48. ff. de acqu. rer. dom. l. sequitur. 4. §. lana. 19. ff. de Vsufr. Besold p. 3. Consil. 108. nu. 62.* Nam & Naturales quoque non nihil curantur. *l. fructus. 7. §. non solum. 9. ff. solu. matrim.* Licet industriales aliquanto majorem diligentiam & industriam desiderent, *d. l. bona fidei. Peretz. in C. de Vsur. Ant. Faber. 4. Conject. 17. Valtæi. 1. disc. schol. 20.* Dissentiunt DD. communiter ad dict. *l. fructus. & ad §. 35. inst. de R. D.* Quibus tamen omnibus uberrimè respondet Hartman. Pistor. *part. 4. quest. 26 per tot.* Sive etiam locupletior factus fuerit, nec ne, nihil interest, *ad. ll. Fachin. 1. contr. 58.* Nam quod ita fuit cuiq; quantum, illud absque facto suo invito auferri non debet. *l. id quod nostrum. 11. ff. de R. I. Cum & lege non distinguente, nec nobis distinguendum sit, Peretz, ad t. C. de R. V. num. 17. & seq.* Idque in praxi & Vsu forensi observari testantur Busius *ad l. 29. ff. de petit. her. n. 5. Sandæus. Decis. Frisic. lib. 3. tit. 15. def. 1. Arius Pinell. part. 2. l. 2. C. de rescind. vend. cap. 4. n. 60. & 74. Fab. 4. coniect. 17.*

XXX. Facit autem *b.f.p. fructus* suos post consumptionem absolute & irrevocabiliter, ut nunquam eorum nomine à superveniente domino & vindicante cū effectu inquietari possit; quia, quicquid consumptum est, pro cultura & cura lucro possessoris cedit. *d.l. qui scit. 25. §. 1. ff. de Usur. l. sed & 4. §. 2. ff. fin. regund. arg. l. si inferiorem. 2. C. de R. V. l. sequitur. 4. §. fructus. 5. ff. de Usucap. Fachin. 1. contro. 57. Tim. Fab. Disp. Annivers. 14. th. 5. Bronckhorst. 2. Enantioph. 89. & 3. Enant. 78. Ant. Matth. Disput. ff. 31. th. 13. Schnobel. Disput. ff. 5, th. 25. Vnde sola perceptio possessori non patrocinatur ad fructus lucrandos suosque faciendos, sed insimul necesse est ut consumptio possessionem subsequatur. Siquidem perceptio inchoat, Consumptio verò acquisitionem consummat & perficit, ita, ut consumptorum adversus bonæ fidei possessorem nulla ratio habeatur, nec de his agi possit, & sic omne remedium juriscesset, *d. leg. 4. §. 2. ff. fin. reg.* quo illos repetere possit. *Donell. 4. comment. 26. per §. 2. inst. de off. iud. & §. si quis. 35. inst. de R. D. Vvesemb. ad dd. §. Rennem. d.l. Disp 11. th. 14. lit. A.* Adeoque perceptione quidem fructus interim, sed consumptione absolute & irrevocabiliter possessoris fiunt. Vti omnium optimè *Cujac. in tract. 7. ad African. in explic. l. 40. ff. de acqu. rer. dom. pag. m. 494. lit. D. tradidit.**

XXXI. Nec refert, an possessor ab initio existat bonæ fidei, vel ex post facto talis efficiatur; *Menoch. de recup. poss. rem. 15. num. 592.* Nam in bonæ fidei possessore, quoad fructus acquirendos eosque suos faciendos singula temporum momenta sunt spectanda. *l. qui bona. 23. §. tam diu. 1. & l. bonæ fidei. 48. §. in contrarium. 1. ff. de acqu. rer. dom. Menoch. d.l.* Adeoque non requiritur probatio ad fructus lucrandos, sed sufficit, quod non sit mala fides probata, *Iason. in l. Pomponius. 13. §. quaesitum. 4. ff. de acqu. vel am. poss.*

XXXII. Nec interest, quo titulo fundum seu rem possideat, oneroso. v. c. Emptionis: an lucrativo. v. c. donationis; *d. l. fructus. 45. ff. de Usur. §. si quis. 35. inst. de R. D. Corvin. Enchir. inst. cod. p. m. 78. Colleg. Argentorat. de Usur. th. 32. n. 2.* Nam in fructuum acquisitione non titulus, sed qualis qualis occasio sufficit. *Surdus. decis. 211. n. 7.* Quoniam bonæ fidei possessor est loco domini, quoad

quoad fructus lucrandos, in tantum, ut bona fides causata etiam ex injustis titulis vel injustis causis ad acquisitionem fructuum prodesse possit. *Afflict. decis. 40. n. 10.*

XXXIII. Interim si dominus postea superveniat, remq; suam vindicet. *l. solū. 49. §. meum. 1. ff. de R. V. b. f. p. fructus. extantes omnes restituere tenetur, l. si fraudator. 25. §. fruct. 6. ff. qua in fraud. Cred. §. 3. inst. de off. iud. quia conveniens est & justa causa, ut, etsi quis suum aliquid faciat, nihilominus restituere teneatur. Ex Vesemb. ad §. 35. inst. de R. D. Carp. iurispr. for. part. 3. Const. 52. Def. 28. num. 13. & seq. Ut & perceptos, si scilicet adhuc extent, needum usucapti aut consumti. *l. certum. 22. C. de R. V. l. sed & loci. 4. §. 2. ff. fin. reg. Sande-ns. decis. Fris. lib. 3. tit. 15. Def. 2. Vultei. 1. Discept. Schol. ult. Idque ex ratione, d. l. 49. §. 1. Veruntamen in tantum, quatenus inde locupletior factus fuerit. *dd. ll. & l. sed etsi 25. §. consuluit. 11. ff. de pet. her. Et hanc sententiam æquiores contra Donel. 4. comm. 26. esse testis est Treutlerus cum DD. ibidem allegatis select. Disp. 1. Disp. 15. th. 11. Ruland. tract. de Commissar. p. 4. lib. 6. c. 7. n. 9. Clock. vor. Cam. relat. 126. n. 65.***

XXXIV. Vbi verò summoperè notandum, quod bonæ fidei possessor & cum titulo, si extantes fructus per triennium possederit, arg. princ. ff. de Usucap. quamvis factus sit locupletior, eos etiam suos faciat. *Ampl. Dn. D. Hahn. in Observ. de R. V. num. 7. Hoc tamen non sit virtute solius perceptionis, sed usucapionis pro suo. Hartman. Pistor. part. 4. quest. 26. n. 21. Covarruv. var. resolut. lib. 1. tom. 2. cap. 3. n. 7. vers. Quarta conclusio. Nam ut ceteræ res mobiles triennio usucapiuntur, ita etiam fructus à solo separatos continuo triennio usucapi, & irrevocabile vel plerum eorundem dominium acquiri Paulus respondit in *l. sequitur. 4. §. fructus. 5. ff. de usucap. Menoch. d. l. rem. 15. num. 588. & seq. Quod tamen fecus se habet jure Saxonico: Vbi fructus extantes, sicut reliqua mobilia, anni & die spacio usucapiuntur. Landrecht. lib. 1. art. 28. Nisi sint fructus ex jure quodam Universalis promanantes. Carpzov, dict. Const. 32. def. 29.**

XXXV. Quod percipiendos fructus attinet, illos bonæ fidei possessor nullatenus restituere cogitur, nec de illis conveniri potest. *§. etsi 2. vers. illorum. inst. de Off. Iud. l. fructus. 33. l. si*
navis

*navis. 62. §. ult. ff. de R. V. Duaren. ad tit. de naut. fœn. in fin. Donell.
29. comm. 5.*

XXXVI. Hæc tamen omnia, quæ hæcenus de bonæ fidei possessore dicta sunt, ante motam proprietatis controversiam, vel ante litem contestatam obtinent. Notum enim est, quod quivis possessor regulariter præsumatur bonæ fidei, donec ab adversario probetur contrarium. *l. penult. C. de Evid. l. quoties. 18. §. qui dolo. 1. l. cum de indebito. 25. §. sinverò. 1. ff. de probat.* Adeoque fructus suos faciat usque ad tempus scientiæ, *l. qui bona. 23. §. tamdiu. 1. l. quesitum, 40. l. bonæ fidei. 48. §. ult. ff. de acqu. rer. dom.* Usque ad tempus motæ controversiæ, *l. sed etsi. 25. §. si ante. 7. ff. de pet. her.* Usque ad tempus litis contestatæ, *l. quesitum. 91. §. ult. ff. de Vsur.* Vnde si super proprietate rei cum possessore vel litis contestatio intercesserit, *l. certum. 22. C. de R. V. l. sed & loci. 4. §. post litem. 2. ff. fin. reg. §. 2. inst. de off. iud.* Vel etiam interpellatio judicialis, *l. item veniunt. 20. §. petitam. 11. cum seq. l. sed & si. 25. §. si ante. 7. ff. de pet. her.* Seu Extrajudicialis facta fuerit, *l. qui bona. 23. §. tamdiu. 1. ff. de acqu. rer. dom.* à tempore, quo rem alienam esse cognoverit, nullos, ne quidem consumptos, lucrabitur. *d. l. 22. Pruckmann. Consil 4. n. 164.* Nam nihil interest, sive simplici & extrajudicium facta interpellatione, sive litis contestatione, vel alio quolibet modo aliquis rem ad se non pertinere, sed alienam esse cognoverit, adeò, ut etiam usuræ ex die contestationis sint computandæ. *l. 1. C. de pet. hered.* Quàmprimum enim cognoscit rem alienam esse, vel suam esse dubitat, incipit malæ fidei possessor esse, *l. quesitum. 40. ff. de acqu. rer. dom.* Etiam si justam litigandi causam habuerit. *certum. 22. Cod. de R. V. & ibi. DD.*

XXXVII. Post motam quoque controversiam vel litem contestatam bonæ fidei possessores similis conditionis cum malæ fidei possessoribus, & sic pares esse incipiunt, ut fermè quasi prædones obligentur: *l. sed etsi. 25. §. si ante. 6. ff. de pet. her. l. litigator. 2. C. de fruct. & lit. exp. l. 10. C. de long. temp. præscript. Clock. vot. Cam. relat. 4. n. 13.* Vnde ad exemplum malæ fidei possessorum non tantum perceptos, sed etiam eos, qui honestè percipi potuerunt, restituere tenebuntur. *l. bonæ. 48. §. 1. ff. de acqu. rer. dom.*

dom. l. domum. 5. C. de R. V. l. ait. prator. 10. §. & fructus. 20. ff. que in fraud. Cred. l. si de. 4. C. Vnde Vi. l. Senatusconsultum. 1. C. de petit. her. Menoch. d. remed. 15. numer. 607. Vultei. 1. Scholast. 20. VVesemb. Vinn. ad §. si quis. 35. inst. de R. D.

XXXIIX. Quod si verò bonæ fidei possessor ante iudicium quidem perceperit fructus, sed post litem contestatam demum consumpserit, nihilominus tamen eo nomine condemnabitur; quoniam omnis in universum causa post litem contestatam, si tandem per sententiam condemnatoriam fuerit evicta, restitui debet, quam nimirum habiturus fuisset petitor, si tempore iudicij accepti restitutio facta fuisset. *l. preterea 20. l. restituere. 68. ff. de R. V. l. certum. 22. C. de R. V. l. vulgo. 2. ff. de Vsur. Vinnius. ad §. 35. inst. de Rer. Divis.*

XXXIX. Diximus, si secuta sententiâ condemnatoria res fuerit evicta. Nam si sequatur absolutoria, nec litem contestatio, nec mota quæstio, ei vel perceptorum vel percipiendorum ratione impedimento esse possunt. Atq; ita nec judicialis interpellatio, nec extrajudicialis denuntiatio usucapionem ritè inchoatam interrumpet, & in alijs, quoniam nunquam per retrotractionem sententiæ in mala fide fuisse reputatur, bonæ fidei possessoris jure gaudebit. Ille enim qui semel per sententiam fuit à petitione absolutus, in dubio pro bonæ fidei possessore habendus est, *Donell. 4. comm. 24. Renneman. d. l. Disp. 11. th. 17. lit. B.*

XL. Si autem lis quidem contestata, perempta tamen postea sit instantia, & ob id post litem contestatam possessor victoriam reportaverit, postea verò iterum novo iudicio actor rem evicerit, inque illa demum possessor succubuerit, num possessor bonæ fidei à die primæ litem contestationis de fructibus restituendis tenebitur? Sic sentiunt quidem Bartol. *in l. 2. C. de fruct. Menoch. de recup. poss. rem. 15. n. 596. Anton. Matth. in colleg. Pandect. Disp. 31. th. 25. Rutg. Ruland. de Commissar. part. 4. lib. 6. c. 7. n. 17. Fachin. 1. controu. 60.* Alij tamen id tunc saltem procedere volunt, si secunda instantia in continenti fiat, & sic una eademque, prima nimirum in secundam transfusa, reputetur
C & ha-

& habeatur. l. cum lite. 2. ff. judic. solv. junct. l. bene fidei. 48. ff. de acqu. rer. dom. Ripa. in l. 2. n. 28. C. de Edend. Valla. de reb. dub. q. 15. Rennem. d. l. Adeoque ex tempore litis posteriori iudicio contestatæ tantum venient fructus restituendi, quia per primaam sententiam fuit purgata mala fides. Tusch. d. l. conclus. 490. n. 101.

Quos m. f.
possessor

XLI. Hactenus de bonæ fidei possessore. Cæterum longè aliter hoc se habet in malæ fidei possessore; iste enim ob malam fidem non tantum nullos fructus suos facit, sed insuper omnes indistincte domino rem suam vindicanti, & quidem in specie, Reinking. de jur. retract. quest. 8. n. 64. restituere tenetur: adeo quidem, ut quamvis erraverit in jure, sicuti bonæ fidei possessor, & maximos sumtus in colenda re aliena fecerit, summamque etiam & exactissimam, qualem diligentissimus quisque paterfamilias suis rebus solet, curam adhibuerit, non ideo magis fructus assiduo labore & industria sua singulari quæstos lucretur. Et hoc maximè in malitiæ præmium & pœnam improborum possessorum est introductum, ne scilicet furtis, latrocinijs, populationibus passim ferverent omnia, & sic scelesti isti homines cum aliena jactura & damno irreparabili, unde loco jurium gravissimæ injuriæ orirentur, locupletiores redderentur. Copus. d. tr. lib. 2. t. 4. c. 1. n. 2.

XLII. Vnde ne quidem industriales, tantoque minus naturales malæ fidei possessor suos faciet. l. etiam. 1. §. mancipium. 1. l. domum. 5. l. si fundum. 17. l. certum. 22. C. de R. V. Pruckm. consil. 4. n. 162. Nec refert consumti sint; nam ex ijs locupletior factus præsumitur, l. mala fide. 3. C. de Condict. ex leg. §. si tamen. 26. inst. de rer. divis. Vel adhuc extent. l. solum. 49. §. meum. 1. ff. de R. V. Reinking. d. l. n. 64. Sive fuerint percepti, etiam inhonestè: Idque ex hac ratione, quod nimirum omne lucrum seu quæstus possessori sit auferendus, quem ex aliena re percepit. l. ancillar. 27. cum l. seq. l. si possessor. 52. l. cum hereditas. 56. ff. de pet. her. Omne quoque inhonestè perceptum pro non percepto, imò pro impossibili habeatur; quod enim contra bonos mores est, nec nos facere posse credendum est, inquit Papinianus in l. filius. 15. ff. de Condit. inst. Rennem. d. l. th. 16. lit. C. Menoch. d. l. n. 605 Sive adhuc sint de futuro percipiendi. l. litigator. 2. C. de fruct. & lit. exp. §. et fr.

etsi. 2. inst. de off. iud. leg. quod in libellum. 1. Cod de fid. & ju. hast. fisc. preterea. 20. si navis. 62. §. generaliter. 1. l. fructus. 33. f. de R. V. l. cum servus. 39. §. fructus. 1. ff. de legat. 1. l. ait prator. 10. §. § fructus. 20. ff. que in fraud. Credit. Domin. Card. Tusch. pract. concl. tom. 3. conclus. 490. in voce Fructus. n. 86. Maxime si id egerit possessor quo minus fructus nascerentur. Copus. d. tr. lib. 1. t. 2. c. 2. n. 4. Hinc nec titulus ullus eum à fructuū percipiendorū præstatione excusabit & liberabit, Hænon. Diss. Pandect. 40. th. 20. Excellentiss. Dn. D. Hahn. d. l. Etiam si lite pendente sit procuratus & affectatus. Menoch. dict. l. num. 606. Prædicta quoque mala fides non proderit ad percipiendum. v. c. si quis emerit rem ab eo, qui dixerit se majorem, & vendiderit absque omni solennitate, cum tamen esset minor, vel emens esset consanguineus, vel fuisset administrator venditoris, tum tanquam malæ fidei emtor fructus suos non faciet, Tusch. d. l. conclus. 503. num. 5. Nam prædictæ leges generaliter loquuntur, à qua generalitate nullatenus nobis recedendum. l. ait prator. 10. §. per hanc. 15. ff. que in fraud. cred. l. fructus. 33. l. si navis. 62. §. ult. ff. de R. V. Vultei. discept. schol. 20.

XLIII. Et quoniam unicuique sua mala fides nocere debet, l. pupillus, 24. ff. que in fraud. Cred. ideò eum non de percipiendis in futurum tantum, verum etiam de ijs, quos petitor percepisset, si ei re sua uti licuisset, possessor autem percipere non potuit, teneri arbitramur. per §. etsi. 2. inst. de off. iud. l. si navis. 62. §. generaliter. 1. ff. de R. V. l. sed & 12. ff. quod met. caus. Sive sit iudicium Vniversale, sive particulare. De quo inferius. Menoch. d. l. num. 607.

XLIV. Quoad Vfusucapionem malæ fidei possessori in fructibus percipiendis de jure Civili succurritur; Nam juxta illud fructus ex re aliena perceptos, etiam vi prædatos, tum demum lucrabitur, si nimirum negligentia & culpâ domini rem suam non vindicantis continuâ & nullo modo interruptâ 30. vel 40. annorum possessione eos perceperit, sic enim omnium præteritorum annorum fructus suos faciet. leg. eos. 2. Cod. de Vsur. rei judic. Vbi Bald. Quod tamen hodie juris Pontificij Constitutionibus aliter se habet. c. ult. ext. de præscript. Vbi nullo omnino tempore possessor præscribit, sed semper, ubique

que & omni tempore bonam fidem adesse oportet. *cap. vigilan-
ti. cod. & cap. 2. de R. I. in 6. Menoch. dict. remed. n. 591. & 609. Schno-
bel. Disp. ff. 20. th. 27.*

XLV. Tantum de Naturalibus & industrialibus. Se-
quuntur Civiles Fructus, in quibus perceptis, puta annuis re-
ditibus. &c. quorum nimirum dies solutionis jamdum venit,
patrio idiomate, *Bestagte Rente vnd verfallene Zinse* idem statu-
endum. *Schneidevv. ad §. 35. inst. de R. D.* Cum tales redditus fructi-
bus à solo separatis adæquentur: *Gail. 2. observ. 10. num. 3. Theod.
Reinking. de jur. Retract. quest. 3. num. 88.* Hinc bonæ fidei possessor
hos fructus semper ut industriales lucratur. *l. ex annuo. 15. ff. de
donat. int. vir. & Vxor. iuncta. l. fructus. 45. ff. de Vsur. Menoch. d.
remed. 15. n. 625.* Possessor verò malæ fidei non tantum hos civi-
les perceptos, sed etiam percipiendos, quorum dies solutionis
nondum cecidit, restituere tenebitur. *d. l. si navis. 62. ff. de R. V. l. si
urbana. 55. ff. de Condit. indeb. l. domum. 5. C. de R. V. l. ancillarum. 27.
§. 1. ff. de petit. her. Menoch. d. l. n. 626.*

Hæres ma-
læ fidei
possessoris

XLVI. Quæ jam de malæ fidei possessoris persona propria
dicta sunt, etiam in alterius, quæ nempe isti succedit, persona
maximè consideranda. Hinc si quis malâ fide rem quandam
possederit, postmodum verò hærede relicto in bona fide tamen
existente mortuus fuerit, & hætenus fructus malâ fide perce-
ptos ad eundem transmiserit, hæres fructus à defuncto malæ fi-
dei possessore perceptos non lucrabitur suosque faciet, sed om-
nes insimul, ac si defunctus adhuc viveret, restituere tenebitur.
*l. litigator. 2. C. de fruct. & lit. exp. l. vitia. 11. C. de acqu. & retin.
poss.* Nam personam defuncti hæres repræsentat, ad quem mala
fides est transitoria. *l. cum hæres. 11. ff. de divers. & temp. præscript.
Menoch. d. l. num. 617. Fachin. lib. 1. controu. 56.* Sicuti quoque na-
turâ æquum est, eum, qui sentit commodum, etiam incommo-
di esse participem: *l. secundum. 10. ff. de R. I.* Ita hæredem etiam
ex persona defuncti lucrum capere, & per consequens etiam fa-
ctum præstare debere innuit. *l. cum à matre. 15. C. de R. V. l. si ab
eo. 7. C. de negot. gest. Sandeus. ad l. 149. ff. de R. I.* Neque enim illud,
quòd turpiter & scelere quæsitum est, ad compendium hæredis
pertinere debet neque ferendum est, ut hæres alieno scelere di-
tetur.

retur. l. 1. ff. de eo quod met. caus. l. 1. C. de delict. def. l. in heredem.
s. ff. de calumniat. Quamvis DD. dissentientes reperiantur, quos
tamen doctissime refutat Fachinans. d. l. Verum, quod de successore
in vitium defuncti diximus non procidit in successore singulari.
Menoch. d. l. num. 621.

XLVII. Haecenus de fructuum acquisitione eorumque In specie
restitutione in genere pauca differuimus. iam nobis videndum qui fructus
erit specialiter, in quibusnam scilicet causis & negotijs fructus restituend
pe
ti & adjudicari queant: Vbi fructuum ratione tam in judicijs Vni-
versalibus quam particularibus, tam realibus quam personali-
bus, tam feudalibus quam Ecclesiasticis pro instituti ratione
considerabimus.

XLIIII. Ad Universalia referimus Peritionem hereditatis. In petiti-
ne heredi-
tatis.
tis. §. actionum. 28. inst. de action. Quamvis enim bonæ fidei pos-
sessor fructus consumptione perceptos lucratur, in quantum ta-
men locupletior inde redditus est, hæredi cuique, sive ex testa-
mento, sive ab intestato. l. hereditas. 1. cum duob. seqq. ff. de peti-
her. modò hereditatem ab alio possessam agnoverit, etiam illi,
qui de inofficioso agit, restituere tenetur. l. sed & 25. §. consuluit.
11. ff. l. 1. C. eod. Iason. de action. in d. §. 28. n. 112. l. illud. 40. §. prædo.
1. ff. de pet. her. Et in hoc iudicio solus & principaliter actor fru-
ctus jure actionis petit. §. 2. vers. etsi hereditas. Inst. de Off. Ind. l.
item. 20. §. item non. 3. & §. hæc adversus. 12. l. sed & 25. §. sed & 4.
& §. sed utrum. 9. cum. §. hoc senatusconsultum. fin. l. quod si. 26. l. il-
lud. 40. §. prædo. 1. l. heres. 51. §. fructuum. 1. ff. de pet. her. l. si post.
2. C. eod. l. pecunia. 178. §. hereditas. 1. ff. de V. S. Quod Bartoldus
de fructibus etiam non petitis intelligendum existimat, in l. 2.
C. d. t. n. 3. Hartm. Pist. obs. 102. num. 8. Hoc tamen in malæ fidei
possessore longe aliter se habet; iste enim omnes fructus & re-
rum accessiones, tam perceptas, quam percipiendas, l. item. 18.
§. ult. l. & non tantum. 19. l. g. 20. pr. & §. 1. 2. & 3. ff. d. t. tam con-
sumtas, quam extantes reddere cogitur. d. l. 25. §. sed & fructus.
4. ff. eod. l. fructus 33. l. si navis. 62. §. generaliter. 1. ff. de R. V. l. cum
servus. 39. §. fructus. 20. ff. que in fraud. Credit. l. certum. 22. C. de R.
V. Vult. ad §. actionum. 28. inst. de act.

XLIX. Et hoc posterius etiam in bonæ fidei possessore
post litem contestatam procedit, d. l. 25. §. si ante. 7. l. si quid. 31.
C 3 §. si ante

Sicut. 3. ff. de pet. her. Ut & de illo tempore, quamprimum hæreditariam rem alienam esse resciverit, ex ratione supra in thesi. 36. apposita. Imò ne expensæ quidem in res hæreditarias factæ à tali deduci poterunt. Corvin. Enchir. Inst. ad tit. de act. pag. m. 538.

In bonorum possessione.

L. In Bonorum possessione idem ferè, quod in hæreditatis petitione, obtinere statuimus, ibi enim fructus petuntur à tempore editi interdicti. *l. questum. 8. §. ex hoc. ff. de precar. l. in interdictis. 3. ff. de interdict. Meier. in Colleg. Argent. d. t. thes. 32. num. 31.*

In fideicommissis.

LI. Fideicommissorum fructus regulariter fideicommissarius non lucratur, nec eidem debentur, ut actione quadam eos petere valeat. *l. in fideicommissaria. 18. §. 2. l. ita tamen. 27. §. si servum. 1. & §. heres. 17. l. ex asse. 28. pr. l. ballista. 32. cum seq. l. postulante. 44. §. 1. l. deducta. 58. pr. §. 2. l. facta. 63. §. si heres. 4. ff. ad SC. Trebell. Quantumvis hæres gravatus ejus negligentia & incuria fideicommissarii perceperit. *l. mulier. 22. §. si heres. 2. ff. eod. Corvin. Enchirid. inst. de legat. pag. m. 215.* Et hoc propter culturam & curam in colligendis illis præstitam & impensam; Nec enim gravatus poterit compelli, ut fungatur officio procuratorio, & vices fideicommissarii suscipiat, *Card. Tusch. pract. conclus. tom. 3. conclus. 493. num. 1.* Nec insuper verisimile est testatorem duplici onere voluisse onerare hæredem, sed eidem parcendum esse magis credibile habendum. *l. Titia. 34. §. qui invita. 5. l. Sempronius. 47. ff. de legat. 2.* Cæterum quamprimum modo in fideicommissio præstando hæredis mora intervenerit, vel ea fuerit voluntas, quæ tamen doceri debet, vel alia justa causa à Mejero in Colleg. Argent. tit. de Usur. thes. 32. enumerata accesserit, fructus & usuras & causam omnem & quod interfuerit fideicommissarii hæres restituere & præstare renebitur. *dd. ll. iuncta. l. equis. 8. l. usura. 34. l. equis. 39. ff. de Usur. Colleg. Argent. tit. de legat. & fideicommiss. th. 82. & tit. ad SC. Trebell. th. 12.**

In legatis.

LII. Idem in Legatis tenendum. Legatario enim fructus regulariter non debentur, nec actione ex testamento peti possunt. *l. si quis. 23. ff. de legat. 1. l. cum pater. 77. §. filia mea. 19. ff. de legat. 2.* Nisi mora hæredis, vel certa testatoris voluntas, quæ itidem à legatario probari debet, intervenerit. *l. si ita relictum. 43. §.*

43. §. Pegasus. 2. ff. de legat. 2. l. quesitum. 91. §. cum homo. ult. l. nihil.
120. §. fructus. 2. ff. de legat. 1. l. si quis. 84. l. ticia. 87. §. usuras. 1. ff. de le-
gat. 2. l. is qui. 26. l. nomen. 34. ff. de legat. 3. t. t. C. de Usur. & fruct. legat.
Et tum à tempore moræ non solum fructus percepti, verum et-
iam percipiendi, non quos hæres, sed quos legatarius percipe-
re potuit, erunt præstandi legatarioque restituendi. Coll. Argen-
tor. tit. de legat. & fideic. th. 82. Hartman. Pistor. Observ. 116. num. 5.
Carpzov. p. 3. C. 13. d. 28. n. 8. & 9. Nam hæres tali casu dolosè verfa-
ri videtur, & in mala fide esse præsumitur; l. quesitum. 40. ff. de ac-
qu. rer. dom. Bronckhorst. 2. Enantioph. 90. Quomodo verò in mo-
ra hæres constituatur, & quando talis intelligatur, videbis Coll.
Argent. d. l.

LIII. Quod tamen longè aliter obtinet in legato ad pias In leg ad
causas relicto; ibi enim si hæres illud non ultrò solverit intra pias causas
sex menses ab insinuatione testamenti, fructus & usuras statim
à morte testatoris, quamvis nunquam lis fuerit contestata. Nov.
131. c. 12. Favore nimirum religionis seu piæ causæ præstare est
obligatus. Rittershus. part. 6. cap. 7. n. 16. ad Novell. Justin.

LIV. In actione familiæ herciscundæ, si unus cohæredum In actione
solus ex rebus hæreditarijs fructus aliasq; accessiones perceperit, fam. hercisc.
illos non ex majori parte suos faciet, quã ex qua hæres extiterit,
l. cohæredib. 17. C. fam. herc. Nisi cohæredem se habere ignoraverit,
tùm enim ad similitudinem bonæ fidei possessoris fructus ante
aditam hæreditam ex fundo hæreditario perceptos non aliter
præstat, quam si sciverit, alium cohæredem esse: Si verò ignorave-
rit, suos facit. Malæ autem fidei possessor, puta rem hæredita-
riam detinens, post moram omnes fructus perceptos & percipi-
endos cohæredi præstare tenetur, etiam usuras ex die moræ, l.
his consequenter. 18. §. sumptuum. 3. ff. fam. herc. arg. l. filius. 9. ff. de
Collat. Vide Colleg. Argent. fam. hercisc. th. 12. n. 18.

LV. In iudicio Communi dividundo fructus perceptos, In iudicio
antequam nimirum res communis facta, non esse consideran- communi
dos docet l. per hoc. 4. §. sicut. 3. ff. comm. divid. Quod si autem dividundo
sibi quis imaginetur hunc vel illum fundum cum aliquo com-
munem esse, cum tamen non sit, post litem contestatam etiam
Per-

perceptos restituet, *l. si quis putans. 6. §. si quid. 3. l. in summa. 11. ff. eod. l. quibus. 34. ff. pro soc. Cop. lib. 3. c. 2. n. ult. in fin.*

In judic.
fin. reg.

LVI. Quod finium regundorum negotium concernit, ibi notandum, quod post litem contestatam etiam fructus qui percipi honestè potuerunt sint à vicino restituendi, *l. sed & loci. 4. §. finium. 1. ff. fin. reg. adeo, ut & usuræ post eam non excipiuntur, d. l. 4. §. 2. innotat. l. usuræ. 34. ff. de Usur. Schnobel. Disp. ff. 7. th. 17. Quamvis fructus ante litem contestatam perceptos consumptione suos faciat, arg. supra posita thesis. 30.*

In Rei Vin.
dicat.

LVII. In rei Vindicatione malæ fidei possessor actori dominium rei vindicanti simul fructus pendentes & extantes, tam perceptos quàm percipiendos restituere tenetur, si nimirum restitui possint: aliàs eorum æstimatio præstanda. *§. omnium. 1. inst. iulianus. 17. §. idem. 1. l. præterea. 20. ff. de R. V. l. si navis. 62. §. 1. ff. eod. l. ait prætor. 10. §. & fructus. 20. ff. que in fraud. Credit. five titulum habeat, five non, l. domum. 5. l. certum. 22. C. de fid. & iur. hast Rennemann. membr. de iudic. Disp. 11. thes. 29. lit. D. De bonæ fidei possessore vide sis supra th. 22. & seq. Adde quoque Covarruy. 1. variar. resolut. 3. n. 6. Donel. 4. comm. 57. An autem officio iudicis vel jure actionis peti debeant. de eo vid. Colleg. Argent. de Usur. & fruct. th. 36. num. 1.*

In act. con
fess. quoad
servitut.

LIIX. Confessoria dominus petitæ servitutis, ut & Vsufructuarius. *l. Vnic §. item. 4. ff. de remiss. cum vicino ad illud, quod ejus interfuit, quominus servitute suâ uti licuerit, præstandum, quod loco fructuum cedit, agere poterit. l. ait prætor. 1. §. qui superficiem. 1. & quia. 6. ff. de superfic. l. agri. 1. in fin. ff. si ag. vectig. l. sed etsi. 2. §. veniunt. penult. & ult. ff. si serv. vind. l. loci. 4. §. in confessoria. 2. ff. si serv. vind. Oldendorp. act. 3. class. 4. Idem servandum in negatoria. Vultei. 2. I. R. c. 22. Virgin de Boccac. tract. de interd. c. 18. n. 10.*

Quoad
Vsumfr.

LIX. Cùm verò Vsufructus fit utendi & fruendi jus, poterit Vsufructuarius, qui rei alicujus usumfructum habet, fructus omnes vel ipse percipere, vel perceptos, five qui ex re quocunque modo percipi possunt, in alium transferre, & sic percipiendi commoditatem alteri aut locare aut vendere. Non tamen fructuum, licet jam maturorum, dominus fit, nec moriens eos

ens eos ad hæredes transmittit, nisi ante vel per se, vel per alium eos perceperit, *l. defuncta. 38. ff. de Vusufr. Excellentiss. DN. Hahn. in Observ. quib. mo. Vusufr. amitt. num. 3.* Nec refert, percepti quidem sint, necdum tamen consumti. *Corvin. Enchirid. inst. de Vsu & habit.* Hoc verò de pendentibus adhuc, necdum à solo separatis, & ab alio, puta si fur decerpserit. *l. arboribus. 12. §. iulianus. 5. ff. de Vusufr.* perceptis nullatenus accipiendum. Nam circa hos factum illud perceptionis considerari non potest, sed hi adhuc, ipso moriente, tanquam pars fundi totum sequentes, unà cum fundo ipso ad dominum proprietatis, extincto per mortem usufructu, revertuntur, *l. is verò. 37. inst. de R. D. leg. omnium. 3. ff. de Vusufr. l. si fructuarium. 13. ff. quib. mod. ususfr. am. l. fructus. 44. ff. de R. V. l. non statim. 8. ff. de pecul. l. qui scit. 25. §. in alieno. 1. ff. de Vsur. Hartm. Pistor. d. l. n. 28. & sequ. Borchold ad d. §. 36.* Illud tamen aliter jure Saxonico observari solet, *Ampliss. DN. D. Hahn. d. l.*

LX. In Publiciana non tantum coloratus, qui per usucapionem dominium sibi acquisivit. *§. namque 4. inst. de act.* sed & In Publiciana act. verus dominus sub qualitate bonæ fidei possessoris. *Vinnius ad d. §. 4.* adversus quemcunque possessorem, vel rei detentatorem, non adversus dominum, nisi paucis casibus exceptis. *Cuiac. lib. 10. observ. cap. 6.* experitur, ad rei, præscriptibilis tamen, cum omnibus fructibus & omni causa persecutionem. *Schneidevvin. ad d. §. 4. num. 14.*

LXI. Rescissoriâ seu quasi Publicianâ non tantum præsens In quasi Publiciana contra absentem, absens item contra præsentem, verum etiam absens contra absentem usucapientem, intra annum utilem, *§. rursus. 6. inst. de act.* ad rem amissam usucapione rescissâ recuperandam, imò ad lucrum inde perceptum, *l. & si ve. 27. ff. ex quib. ca. mai.* & ad plenissimam indemnitàtem præstandam, quæ loco fructuum hoc in passu habetur, agere poterit. *l. sciendum. 18. ff. cod. Vultei. 2. l. R. cap. 23. n. 9. Corvin. ad tit. de act. pag. m. 454.*

LXII. Fructus quoque maximè attendi solent in Pauliana, In Pauliana nam ibi Creditores & eorum successores. *l. ait Prætor. 10. §. fin.* n. 2. *ff. que in fraud. Credit.* adversus debitores in fraudem eorum alienantes, *l. ult. §. fin. ff. d. t.* eorumve hæredes, quatenus tamen

D

inde

inde locupletiores facti. d. l. 10. l. Cassius. 11. ff. eod. procedunt, tam ad fructuum perceptorum, quam percipiendorum in pristinum statum restitutionem. d. l. 10. §. per hanc. 19. §. partum. 22. & §. preterea. 23. l. hac. §. in tactum. 15. ff. eod. Vesemb. parat. ff. d. t. num.

Faviana. 11. Per Favianam verò illorum, quæ in fraudem Patroni à liber-
to sunt alienata. l. 1. ff. si quid in fraud. patr. fructus tam ante,
quam post litem contestatam percepti solent revocari. d. l. 1. §.

Calvisiana ult. ff. dit. Et hoc idem in Calvisiana locum obtinebit. Copus d.
tract. lib. 4. tit. 1. cap. 6. num. 5.

In Serviana & q. Serv. LXIII. In Serviana & quasi Serviana fructus solummodo à tempore litis contestatæ percepti veniunt considerandi; Nam eos possessor Creditori restituere debet. l. si fundus. 16. §. interdum. 4. ff. de pignor. & hypoth. Ante litem vero contestatam non aliter, quam si adhuc extiterint, vel res pignolata vel hypothecata non suffecerit. l. quamvis. 3. C. in quib. ca. pign. Gothofred. ad d. l. 16. §. 4. lit. C.

In interd. ad ip. poss. LXIV. In Adipiscendæ possessionis remedijs, qualia Quorum Bonorum, quod Legatorum, & Salvianum interdium, fructus & Usuræ à tempore moræ, saltem ad similitudinem iudiciorum bonæ fidei, solent peti & restitui. Ferrar. in form. lib. quopet. her. ex test. summar. coram vobis, per. l. hoc interdictum. 1. §. & continet. 2. l. diversum. 2. §. ex hoc. 2. ff. quod legat. Creditoris. 15. §. Dominus. 1. ff. de furt. Vesemb. parat. ff. quod legat. n. 7. Carpzov. p. 3. C. 13. def. 30.

In interd. Justin. LXV. In interdictis verò retinendæ possessionis, puta Vti possidetis & Vtrubi fructus regulariter non veniunt, nisi à die litis motæ seu editi interdicti, nec retrò computantur. idq; juxta regulam in l. in interdictis. 3. ff. de interdict. l. quesitum 8. §. Ex hoc interdicto. 4. ff. de precar. Ludovic. Postius, dec. 100. num. 3. Hinc possessor bonorum tamdiu fructus percipere debet, quoad possideat, etiamsi causa status moveatur vel opponatur de jure tertij exclusivo juris agentis, cum bonæ fidei possessor præsumatur, qui usque ad litem contestatam fructus suos facit. Quapropter si actor demum in petitorio fuerit possessor declaratus, reus verò condemnatus ad restituendum bona, non tenebitur ad restitutionem fructuum, nisi post litem contestatam perceptorum & per-

& percipiendorum. *l. ait prator. 1. ff. Vbi Bartol. Vri possid. Olden-*
dorp. Claß. 2. act. 4. Quoniam ex illo tempore bona fides cessat,
& in mala fide constitutus est, & per consequens in fructus con-
demnandus. Quamvis etiam ante litem contestatam percepti
officio judicis soleant restitui. *Menoch. de retin. possess. rem. 3. n. 289.*

LXVI. Similiter in interdicto ne vis fiat ei, qui in possessi- In interd.
ne Vis fiat.
onem à iudice missus est, fructus medio tempore percepti non
efficiuntur ipsius missi in possessionem, verum ab illo pro credi-
to partim vero partim falso integrè & plenè sunt restituendi,
etiam pro ea parte veri & iusti debiti, *arg. l. 7. §. f. quib. ex caus.*
Virgin. de Bocat. tract. de interd. cap. 18. num 8.

LXVII. In possessorio momentaneo fructus veniunt à In poss.
momenti
die motæ litis, percepti autem ante motam litem non veniunt.
Posthius de mandat. manuten. Observ. 74. per tot. ubi hoc probat &
restringit.

LXVIII. In interdicto Vnde Vi statim à tempore dejectio- In interd.
Vnde Vi
nis & spolij fructus debentur. *l. ait prator. 1. §. ex die. 40. ff. de vi &*
vi arm. c. gravis. extr. de restit. spol. Clock. vot. Cam. rel. 4. num. 113.
ubi dicit, hoc in interdicto Vnde Vi esse speciale: Adeoque fru-
ctuum non tantum perceptorum, verum etiam percipiendos
rum, quoscunque modo habiturus vel assecuturus is fuisset, qui
vi dejectus est, si vi dejectus non fuisset, ratio habenda, *l. videam-*
mus. 38. §. & ideo. 5. ff. de Usur. Quicquid quoque suâ interfuerit,
si vi dejectus non esset, debetur. *l. is qui. 11. §. quod ait. 4. ff. quod*
vi aut clam. Non enim lucrari debet possessor eos fructus, quos
dolo percepit & cum mala fide, *Menoch. de retin. poss. rem. 3. n.*
28. Nec æquo & bono convenit, ut frustratio adversario lucrum
offerat. *Vmmius. Disp. process. iudic. 21. th. 2. num. 12.*

LXIX. Idem in interdicto quod vi aut clam observa- In interd.
quod Vi
aut Clam.
tur. *l. semper. 15. §. hoc interdicto. 7. ff. quod vi aut clam. Vmm. d. l.*
Si tamen super spolio conventus autoritate judicis possideat,
vel mandatum manutenentiæ obtinuerit, fructus non veniunt
restituendi, nisi à die motæ litis in possessorio hoc recuperandæ.
Posth. dec. 62. dec. 297. num. 14.

LXX. In interdicto ex Canon: Redintegranda veniunt In int. ex
c. redint.
post litem contestatam percepti, etiamsi non fuerint petiti.



Quod ad percipiendos attinet, adjudicari illos posse statuit The-
saur. decis. 29. Sed Menoch. recup. poss. rem. 15. num. 11. tantum de
perceptis hoc remedium comperere, exclusis percipiendis, exi-
stimat, & eatenus à remedio Vnde Vi secerni dicit. Verùm hic
distinguendum, ut restitutio fructuum percipiendorum non in-
jungatur, nisi spoliatio violentiam præsupponeret. Et ita in Ca-
mera imperiali iudicatum refert Clock. Relat. Cam. Vol. 5. num.
115. & seq.

In act. emt.

LXXI. In actione Emti Venditor Emtori ad omne com-
modum & emolumentum, quod rei venditæ post perfectam
venditionem & pretij solutionem accessit, est obligatus. l. si res
1. l. ratio. 3. §. si emtor. 1. l. Iulianus. 13. §. si fructibus. 10. cum. §. 2.
seqq. & §. siquid. 18. ff. de act. Emt. l. videamus. 38. §. ex causa. 8. ff. de
Usur. & fruct. l. fructus. 13. l. post perfectam. 1. C. de peric. & comm. rei vend.
Matth. de Afflict. decis. 188. n. 2. Quamvis de illis expressè nihil fue-
rit conventum, Carpz. lib. 5. Resp. 29. t. 4. n. 1. Vel fides tantum modo
de pretio fuerit habita: quod fit si absq; solutione pretij fiat tra-
ditio, vel si terminus quidam ad solvendum sit appositus. Dom.
Card. Tusch. d. l. concl. 486. n. 311. Nec fructus (nisi eos forsan ven-
ditor nominatim exceperit, tum enim conventioni standum,
l. Iulianus. 13. §. si fructibus. 10. ff. de act. Emt.) tempore emtionis
pendentes & nondum à solo separati eximuntur. Hinc si fun-
dus venditus est, fructus pendentes emtorem, tanquam domi-
num, sequuntur. Vasqu. 6. controv. 63. n. 53. Coppen. decis. 30. num. 1.
Nam fructus pro accessione rei habentur, qui merito lucro em-
toris cedere debent. d. l. 13. §. fin. ff. de act. Emt. Gomez. lib. 2. var.
resol. cap. 2. num. 11. Hoc tamen maximè ob bonam fidem, quæ
hoc in casu attendenda, receptum esse statuit, Vmmius. d. l. th. 2.
n. 11. in fin. Et hæc in tantum vera sunt, ut si venditor in re traden-
da moram, sive regularem, quæ ex interpellationibus in iudicio
factis inducitur, sive irregularem, quæ ex implemento alterius
ex contrahentibus contrahitur, Virgin. de Boccac. d. l. c. 18. n. 101.
commiserit, fructus non tantum eos, quos percepit, sed etiam,
quos modo percipere potuisset, si maiorem diligentiam adhi-
bisset, præstare teneatur. l. si sterilis. 21. §. cum per. 3. l. si ea res. 37.
ff. de act.

ff. de act. Emt. Alexand. lib. 4. cons. 121. Didac. Covarruv. in tract. var. resol. lib. 3. c. 4. n. 6. vers. ex quibus obiter.

LXXII. Eodem modo, quod de totius pretij solutione re vendita nondum tradita dictum, etiam quoad partem intelligendum. Si ergo emtor solverit partem pretij, re nondum tradita, poterit emtor petere totam rem cum parte fructuum ex ea perceptorum pro rata pretij soluti à die solutionis, *l. Vir in fundo. fin. §. si per 1. ff. de fund. dotal.* Lucratur autem tales fructus emtor non ratione dominij, quia nondum est dominus ejus etiam partis: nec jure possessionis, cum emtor non possideat ante rem sibi traditam: Sed illos solummodo lucratur ex quadam generali æquitate, ne nimirum venditor cum alterius, & sic emtoris jactura ditefcat, in qua æquitate maximè officium judicis attendendum, fructus ita pro rata pretij retrò soluti emtori adjudicando, *d. l. Ex Baldo & Saliceto. Alexand. d. l. num. 1. & 2.*

LXXIII. Cæterum longè aliter se habet ratio fructuum in promissione de vendendo: licet enim promissio de vendendo à venditore facta fuerit, cum tamen nulla præcesserit causa ad acquirendum dominium habilis, quæ circa fructus acquirendos maximè attendenda, nec ulla facta fuerit alienatio, nec subsequuta solutio, fructus ante contractum perfectum percepti, non ad emtorem, sed ad venditorem, ut dominum rei, spectabunt. *l. venditi. 2. C. de act. emt. l. necessario. 8. §. si ita. 1. & seq. ff. de peric. & comm. rei vend.* Nam aliud est vendere, aliud promittere vendere. *l. in bonafidei. 7. ff. de eo quod cert. loc.* Et contra bonam fidem esset, quod emtor perciperet fructus absque solutione pretij rei emtæ. *l. bona fides. 50. ff. de act. emt. Afflict. decis. 20. num. 4.* Si tamen statim pretium promissioni de vendendo fuerit appositum & venditori traditum, debet venditor implere talem contractum, sin secus, à tempore moræ & interpellationis ad damna & interesse, quæ loco fructus sunt, conveniri poterit. *Tusch. d. l. conclus. 486. n. 19. & seqq.*

In promissione de vendendo.

LXXIV. Quæ insuper de bonæ fidei possessore diximus, eadem in bonæ fidei emtore locum sibi vendicabunt. Sicut enim bonæ fidei possessor tam diu fructus, donec res evicta fuerit, lucratur: Sic quoque bonæ fidei emtor eosdem percipere su-

D 31

osque

etque facere poterit. Nam semper præsumitur pro titulo & bona fide. *l. super. penult. C. de long. temp. præscr. l. improba. 7. C. de acqu. poss.*

In benefi-
cio l. 2. C.
de resc.
vend.

LXXV. Sed quid si ex capite læsionis enormissimæ, puta ex l. 2. C. de rescind. vend. restitutio adjudicanda, an tum fructus percepti ab emptore venditori restituendi? Nonnulli affirmant, alij negant, Quos vide sis apud Pinell. ad l. 2. C. de rescind. vend. part. 2. c. 4. n. 1. & seq. Fachin. 2. controu. iur. c. 24. Nos tamen illud tantum in venditione prædij minoris facta sine decreto obtinere putamus. *l. quod si 4. §. restitutio. 4. l. patri. 27. §. si pecuniam 1. l. minor. 40. ff. de minor. l. si contra. 2. C. si quis ignor. rem es. sin. decr. comp. l. si prædium. 16. C. de præd. & al. reb. min. l. si inter. 1. C. si mai. fact. rat. hab.* Quia restitutio minorum omnia in pristinum statum propter læsionem enormissimam reponit. *l. matrimonium 1. C. de repud. arg. l. videamus. 38. §. in faviana. 4. ff. de Usur. Vasqu. lib. 6. controu. c. 71. n. 1.* Secus verò in majore, apud quem fructus omninò pro labore præstito remanent, nec venditori restituendi. Arius Pinell. d. l. per l. bonæ fidei. 48. ff. de acqu. rer. dom. junct. l. quesitum. 40. ff. eod. Nam ille emptor inculpatus est nihilque mali fecit, quare ad fructus restituendos non erit condemnandus: Et iniquum esset, ut quis simul haberet pretium & fructus rei venditæ. *l. curabit. 5. C. de act. Emt.* Sibi quoque imputare debet venditor, quod non statim contractum rescindi petierit. Fachin. d. l. Adeoque fructus nec percepti, nec percipiendi Venditori restituuntur, nec peti possunt, etiamsi ante vel post litem contestatam percepti. Pruckmann. Consil. 50. n. 200. & 201.

In pacto
addit. in
diem.

LXXVI. Neq; tantum in Emtione Venditione pura, sed & in conditionali, puta Additione in diem, Lege Commissoria & Pacto de Retrovendendo fructuum ratio venit observanda. Nam dominus obligatus dare vel restituere alteri sub conditione lucrari poterit fructus pendente adhuc conditione, nec tenetur illos restituere. Hinc in pacto Conditionali Additione nimirum in diem, quamprimum modò per pretij solutionem fuerit perfectum, statim emptor, etiam antequam venditio transferatur, incipiet fructus suos facere, sibi que lucrari irrevocabiliter. *l. quoties 2. l. ubi 4. l. item quod. 6. l. Imperator. 16. l. si venditor.*

ditor. 14. §. fin. ff. de in diem addit. l. pro emptore. 2. §. si in diem. 4. ff. pro emptore. Frider. Pruckmann. consil. 4. n. 156. Quamvis non desint, qui dissentiant, quos tamen doctissime refellit Vasquius. lib. 6. controu. cap. 49. Nam cum emptori desit pecuniæ suæ emolumentum, sicque per tempus eâ carere cogatur, æquum & humanum reputatur, ut ejus loco fructuum quoque emolumentum interim sentiat, sibi que id accedat. l. si fundum. 2. C. de pact. inter empt. & vend. Et hanc veram & receptissimam opinionem esse testis est Vasqu. d. l. n. 2.

LXXVII. Idem in Pacto Legis Commissoriæ renendum In pacto
Commiss.
l. si fundus. 4. l. leges. 5. ff. de leg. commiss. Pruckmann. d. l. n. 155. Antequam enim talia pacta compleantur, plenum & perfectum dominium transfertur, talesque emptores omnia facere valent, quæ plenus & perfectus dominus facere assolet: Non obstante hoc, quod existente illo, quod in pactum deductum est, contractus resolvi, & emptori res auferri possit. l. si quis. 41. in pr. & §. 1. ff. de R. V. l. ubi. 4. §. si ex duobus. 2. ff. de in diem addit. Schrader. tr. feud. 2. p. 10. sect. 1. n. 121. Nisi tamen venditio illa facta & culpa emptoris resolvatur, quod fit, si emptor infra diem præfixum dictum pretium non numeraverit, tunc enim si conditioni non paruerit, merito ad fructus cum ipsa re restituendos ille compellendus. d. l. lege. l. si fundus. 4. ff. de leg. commiss. l. pro emptore. 2. §. Sabinus. 3. ff. pro emptore. Ampliss. Dn. D. Hahn. in Observ. deleg. Commiss. num. 1. Siquidem iniquum, ut ille fructus lucretur, cui pretium non abfuit, sed emptor magis ex culpa, quod pretium conventum non solverit, quasi fidei datæ violator, erit conveniendus. Fachin. 2. controu. 24.

LXXIX. In pacto quoque de Retrovendendo fructus In pacto
de retro
vendendo.
ab illo tempore, quo conditio impleta fuit, statim emptor irrevocabiliter acquirit, eosque perceptos lucratur, nec in sortem imputare vel redemptori restituere tenetur, arg. l. si fundum. 2. C. de pact. int. empt. Mynsing. cent. 23. observ. 50. n. 1. Quantumvis alij commoditatem fructuum percipiendorum transire putent, quos tamen exactissime refutat Mynsing. lib. 6. observ. 70. Illudque maximè jure proprietatis atque dominij, quod indubitanter in emptorem transfertur, licet pactum de retrovendendo
adji-

adjiciatur. *l. Herennius. 43. ff. de Usur. Carpzov. lib. 5. Resp. tit. 7. Resp. 27. n. 1. & 2. videatur omnino Schrader. tract. feud. p. 10. sect. 1. n. 122.* Quamprimum autem res vendita ob pactum de retrovendendo interpositum revocatur, fructus pendentes inter possessorem & revocantem venditorem pro rata anni ultimi divisim percipiendi. *Hartm. Pist. lib. 1. quest. 24. num. 12. Reinking. de jure Retract. quest. 8. num. 76.* Et tum retrovenditio quasi in novam venditionem mutatur. *l. pacta. 72. ff. de contrah. emt. l. si unus. 27. §. pactus. 2. ff. de pact.*

In aedilitiis
actionibus

LXXIX. His adjungimus Actiones ex Aedilitio Edicto promanantes: Redhibitoriam scilicet & Quanti Minoris seu Aestimatoriam. Quemadmodum itaque in Aedilitio Edicto cum fructibus restituenda mancipia, *l. cum autem. 25. §. cum redhibetur. 9. l. & generaliter. 24. l. quod si nolit. 31. §. in his. 24. ff. de edil. Ed.* Sic quoque in Redhibitoria venditor rem venditam cum omni causa & sic cum fructibus, pretium item emptori cum usuris & interesse reddere tenetur; Nam per hanc actionem omnia quoque in pristinum statum revertuntur. *d. l. 23. §. iubent. 1. l. debet. 27. l. illud. 29. §. item. 1. l. & generaliter. 25. l. quod si venditor. 1. ff. d. t.* Hocque generale est in omnibus restitutionibus vel redhibitionibus, quæ conceduntur, ut damnum passis subveniatur & hi indemnes serventur. *Vasqu. lib. 6. controv. 49. n. 3.* Post causam tamen redhibendi percepti fructus merito venditori, non item emptori, attribuentur, *d. l. 23. §. cum redhiberetur. 9. ff. d. t. Corvin. Enchir. iust. ad tit. de Emt. Vend. VVesemb. parat. ff. de edit. Edict. n. 7. Fachin. 2. controv. 24.* In Aestimatoria verò pretij restitutio & aestimatio, quæ loco fructuum est, attendenda, *l. quotiens. 61. ff. d. t. Schnobel. Disp. ff. 12. th. 30. VVes. d. l. n. 9.*

In permuta-
tione.

LXXX. Emtioni Venditioni succedit Permutatio. *l. Arist. 2. ff. l. Permutationem. 2. C. de rer. permut. l. origo. 1. ff. de contrah. emt.* Sicut itaque in Emtione & venditione fructus ad emptorem spectant: sic quoque jure dominij rei ex causa permutationis traditæ fructus ad eum, qui accepit, spectabunt, *Vmm. d. l. Disp. 31. th. 2. n. 12. in fin.* Sin verò permutans moram in permutata re tradenda commiserit, à tempore moræ rem cum omni accessione

sione & fructu ex ea percepto restituere debet, *fol. titul. de rer. permut.*

LXXXI. In jure Retractus seu congrui statuendum, ^{In jure retractus.} quod Emtor quidem omnes fructus perceptos & consumptos instar bonæ fidei possessoris, ante retractum à consanguineis venditoris institutum lucretur: pendentes verò tempore venditionis & simul cum re ipsa uno eodemque pretio venditos restituat, *l. bonæ fidei. 48. ff. de acqu. rer. dom. l. in pecudum. 28. ff. de Vsur. Donell. 4. comm. 25. Guitierrez. quest. pract. 158. n. 9. lib. 2. Reinking. de jur. Retract. q. 8. num. 25. & seq.* De reliquis post motam controversiam perceptis idem judicium, quod superius *th. 37.* positum, esto: Nimirum, quod Emtor rei retractui obnoxia teneatur ante litem contestatam ad exstantes, post verò etiam ad consumptos fructus, *Reinking. d. q. 8. num. 59.* Nisi (1) mora emtoris à tempore consignationis & depositionis pretij per proximum factæ intervenerit, tum enim ab illo tempore fructus restituere teneatur. *id. ibid. n. 69.* Vel (2) agatur de fructibus pendentibus ultimi anni, quo retractus postulatur, tunc enim illi fructus inter utrumque pro rata anni postremi dividi debent, *id. ibid. n. 72.* Vel (3) Emtor fructus perceptos collegerit necdum maturos, fortè animadvertens retracturum quem esse: tum enim inspiciendum tempus, quo potuissent justè maturescere, non verò collectionis. *Vid. Schrader. de feud. p. 2. p. 9. pr. sect. 3. num. 23. & seqq. Prukm. Consil. 4. n. 187. & seqq. vol. 1.*

LXXXII. Pergimus ad actionem locati conducti, in qua ^{In act. locati con-} locator sive operas sive res locaverit, fructus inde provenientes ^{ducti.} suos facit. Vnde si quis servum ad operas præstandas locaverit, fructus seu mercedes ex opere acquisitos lucrabitur. *l. in hominis. 3. ff. de op. serv. si quis quoque vestimenta vel scyphos locaverit fructus venient.* Nam quod ex re locata mercedis nomine percipitur, venit fructuum appellatione, *l. domum. 5. C. de R. V. Virgin. de Bocat. d. l. c. 17. num. 20.* Conductori verò non prius cedent fructus, nisi de illis lucrandis simul fuerit conventum, & tum eorum non fiet dominus, priusquam perceperit eos, in tantum, ut non possit pro illis restituendis agere, nisi actione furti contra subtrahentem tales fructus. Nam pendentes finitâ
E loca-

locatione ad eum non spectabunt, quia sunt pars fundi vel rei, nec ullum jus ante perceptionem in illis habebit: adeoque nec sequestrari ante separationem à solo poterunt, *l. cum in plures. 60. §. messem. 7. ff. locat. l. si servus. 51. §. locari. 8. ff. de furt. l. final. §. penult. ff. que in fraud. Cred. l. si fructuarius. 13. ff. quib. mod. usus fr. am. Dom. Card. Tusch. d. l. conclus. 487. n. 10. & seqq.* Si quoque conductor in solvenda mercede moram commiserit, à tempore moræ usuras mercedis, quæ loco fructuum sunt, præstare obligabitur. *l. si in lege. 24. §. si domus. 2. l. dominus. 55. §. qui contra. 2. l. insulam. 58. ff. l. præses. 17. C. de loc. Cond. Trentler. vol. 1. Disp. 29. th. 6. & ibi Bachov.* Quanquam Conductor itidem ad interesse damni ex re locata & rei locatæ vitio accepti præstandum agere possit, *l. si tibi. 7. l. nos videamus. 7. l. si quis. 9. l. Exconducto. 15. §. item. 6. l. si fundus. 33. d. l. dominus. 55. §. in conducto. 1. ff. d. t. l. Colon. 61. ff. eod. Fachin 1. contr. 85.*

LXXXIII. Aliud in Colono tali, qui sub annua mercede in pecunia numerata vel alia re, v. c. sub certa quantitate frumenti agros colendos conduxit & nummis colit, solet observari; ille enim omnes fructus vel per se, vel à quocunque alio, licet non ipsius nomine perceptos ac etiam pendentes suos facit & ad hæredes transmittit. *§. is vero. 36. inst. de R. D. l. si apes. 26. §. item. 1. ff. de furt. l. cum in. 60. §. heredem. 1. ff. locat. arg. l. annonas. 1. C. de annon. civ. Gothofred. ad d. l. 60. §. 1. Borch. ad d. §. 36.*

In act. pro
socio,

LXXXIV. In actione pro socio, sive generali sive speciali, communio non solum juris & dominij, sed & administrationis ratio habetur, & sic possessio communis est. Ita quoque omnia emolumenta & fructus erunt communes & divisibiles, adeoque à socijs omnium, de quibus modo conventum est, partium fructus percepti communicandi, *l. pro socio. 38. §. si tecum. 1. ff. pro soc. l. videamus. 38. §. sed in. 9. l. qui scit. 25. ff. de Usur. Usuræ quoque & interesse ob moram & negligentiam ab alterutro sociorum commissam præprimis præstandæ. leg. solum. 60. ff. pro soc. Trentl. vol. 1. Disp. 27. th. ult.*

In act.
mandati.

LXXXV. Actione mandati directa agit mandans ad illud, quod ejus interest, mandatum non fuisse expletum à mandatario. *l. si procuratorem. 2. §. mandati. 6. l. ad comparandas. 16. Cod. mand.*

mand. & ad id, si quid ex causa mandati ad mandatarium per-
venerit, sive fructus percepti sive percipiendi fuerint. *l. procura-*
torem. 11. l. à procuratore. 13. C. mandat. recuperandum. l. idemque. 10.
§. si ex fundo. 2. & §. si mandaverit. 8. l. ex mandato. 20. ff. mandat. Vul-
tei. 2. I. R. c. 9. n. 45. Contraria verò experitur mandatarius adver-
sus mandantem ad illud, quod ex causa mandati abfuerit, reci-
piendum, *d. l. 10. §. 9. l. si verò. 12. §. si mihi. 9. l. inter. 26. §. non omnia.*
6. l. qui mutuam. 56. §. ult. ff. l. etiam. 4. C. mandat. & ad interesse
præstandum, d. l. 26. §. 6. Schnobel. Disp. ff. 10. th. 30.

LXXXVI. Cum quoque æquissimum sit, ut res, quæ ali- *In act.*
cui tradita eo modo, ut quovis tempore à tradente repeti que- *depos.*
at, non ut perpetuo jure dominij apud illum remaneat, repe-
tenti statim reddatur, sequitur, quod in deposito res deposita
à depositario deponenti incorruptè sit restituenda, & quidem
cum omni causa & fructibus, *l. depositum. 1. §. si res. 16. & §. ideo. 24.*
ff. l. penult. C. depos. Bernhard. Schotan. in Exam. jurid. ad tit. depos.
Non tamen cum usuris, *l. Lucius. 24. ff. eod.* Nisi paucis casibus ex-
ceptis, *l. die. 25. §. qui pecuniam. 1. l. si sacculum. 2. §. si ex. 1. ff. l. Usu-*
ra. 2. l. si deposita. 4. C. depos. l. Titia. 87. §. usuras. 1. ff. de legat. 2. l.
cum quidam. 17. §. si pupillo. 3. l. mora. 32. §. in bona. 2. ff. l. bona fidei.
13. C. de Usur. Et tum usuræ, non sicuti usuræ, sed ut interesse à
depositario exiguntur, *Carpzov. lib. 6. resp. 55. t. 7.*

LXXXVII. Nec in Commodato fructus omittendi, *In act.*
maximè ex re commodata à commodatario percepti, qui iti- *commo-*
dem restituendi, *l. is qui. 13. §. si quem. 8. ff. commod. l. videamus. 38. dati.*
§. si possessionem. 10. ff. de Usur. Ummius. d. l. th. 2. n. 13. Nec usuræ
prætergrediendæ. *l. manifestissimi. 22. §. sed cum. 3. C. de furt.* Non
enim est actum inter partes, quod fructus manere debeant pe-
nes commodatarium, sed quod usu finito usufructus non magis,
quam ipsa proprietas apud commodantem salvi relinqueren-
tur, *l. non omnis. 19. ff. si cert. pet. l. obligationum. 3. ff. de O. & A. Va-*
squ. lib. 6. controv. c. 49. n. 3.

LXXXIIX. In mutuo Creditori contra debitorem rem *In act. ex*
mutuo datam debito tempore non restituentem æstimatione *mutuo.*
judicis succurritur, quæ vice interesse fungitur, *l. vinum. 22. ff. de*
reb. cred. Oldendorp. Class. 4. act. 17. num. 6. §. 2.

In pignō
121. actione

LXXXIX. Quoad pignoratitiam actionem directam fructus omnino etiam veniunt considerandi, ita, ut Creditor, quamvis sit ex illis qui civiliter & naturaliter possident, fructus tamen ex pignore provenientes suos facere non possit. *l. si de. 40. in pr. ff. de acqu. poss. l. possessio. 1. §. per servum. 14. cod. l. cum nobilissimi. 7. in pr. C. de prescript. 20. ann. l. ex pignore. 1. C. de prescript. 30. vel 40. ann. l. ex pignor. 1. C. de pignor. act. Alexand. lib. 4. Consil. 121. n. 6.* Hinc, si Creditor dolo malo pignus distraxerit, debitori illud cum refusione fructuum tam perceptorum, quam percipiendorum (nisi de antichresi fuerit conventum, *l. si ea pactione. 14. l. si ea lege. Cod. de usur.*) reddere tenebitur. Fructus præterea medio tempore percepti in sortem imputandi, adeo ut Creditor vel possessor illud, quod ex venditione pignoris ultra debitum est consecutus, cum usuris à tempore moræ reddere sit obligatus. *l. si debitor. 2. l. quamvis. 6. §. ult. l. si convenit. 18. l. penult. ff. d. l. 1. & seq. C. de pignor. act. l. final. ff. de distract. pign. leg. cum contra. 4. C. si vend. pign. act.* Nam præsumuntur contra domini voluntatem à Creditore percepti, & ita furtivi. *l. si quis. 4. §. res. 1. ff. si cert. pet. l. qui re. 76 ff. de furt. l. si quis. 52. §. eum. 7. ff. cod.* Horumq; ratione habetur iste pro malæ fidei possessore, non aliter, ac si possessionis suæ titulum nullum haberet: quoniam parum interest, titulum habere nullum, an vero vitiosum, *l. quoties. 6. ff. qui satisd. cog. Carpz. lib. 5. resp. 27. tit. 4. n. 3. & 4. cum ibid. allegatis. DD.* Contraria itidem prodest Creditori ad illud, quod illi probabiliter abfuerit, præstandum. *l. pignus. 1. §. si quis. 2. l. si autem. 7. in fin. l. si rem. 9. leg. tutor. 16. §. contrariam. 1. leg. si pignore. 22. ff. l. Creditor. 7. l. si nulla. 8. C. de pign. act. Schnobel. Disp. ff. 12. rhes. 14.*

In act. ex
stipulatu.

XC. Progredimur ad actionem ex stipulatu, in qua si simpliciter ad dandam rem obligatio fuerit concepta, ante rei traditionem fructus, licet post perfectam stipulationem percepti, adhuc promissoris manent, nec stipulatori restituendi sunt, *l. videamus. 38. §. si actionem. 7. ff. de Usur.* Nam in hac actione personali & stricti juris, si rem dari tantum stipulemur, non venient fructus nec interesse, etiamsi mora facta sit ante acceptum iudicium

cium, l. si filiusfamilias. 78. §. cum fundum. 1. ff. de Verb. Oblig. Licet quoque tempore stipulationis seu contractus fructus fuerint pendentes. d. l. 78. l. cum fundus. 31. ff. si cert. pet. Quod tamen post acceptum iudicium non procedit; Nam tunc fructus non propter moram quidem, sed ut causa, in eum usque diem præstantur, quo sententia datur, ut ita tempus iudicati à fructibus dependendis immune sit. l. est enim 2. l. omnium. 3. §. constitit. 1. ff. de Vsufr. d. l. 31. ff. de R. C. l. si homo. 8. ff. de Re iudic. l. si post. 7. C. de pet. her. Meier. Colleg. Arg. de Vsur. th. 32. n. 32. Virgin. de Bocat. d. tract. c. 18. num. 18. Quod si verò quis rem dari & vacuam possessionem simul tradi stipuletur, fructus à tempore moræ statim debebuntur, etiam futuri. l. si stipulatus. 4. ff. de Vsur. Et tum, quod ex stipulatu consequi non poterit, ex emto actor consequetur. d. l. Virgin. de Bocat. d. l. n. 19. Si quoque vacuam possessionem tantum tradi quis stipulatus fuerit, non itidem fructus venient. l. ratio. 3. §. si emtor. 1. ff. de act. Em. Vasqu. lib. 6. controu. 63. num. 40.

XCI. Circa Actiones Præscriptis Verbis notandum: quod, cum illæ sint bonæ fidei, sive ex æstimatione & permutatione sive ex alijs negotijs competant, fructus à tempore moræ debeantur per
l. si fund. 2. C. de pact. int. Empt. & Vend. Vid. Schnobel. Disp. ff. 11. th. ult. In act. præscr. verb.

XCII. In Negotiorum gestione, ubi quis sine mandato amicitia inductus negotia absentis administravit, omnes accessiones & fructus tam percepti, quam percipiendi venient. l. si quis. 2. l. ait prætor. 3. §. hæc verba. 6. l. at quin. 19. ff. de neg. ge. Vsuræ quoque à negotiorum gestore, quæ itidem fructuum nomine veniunt, etiam maximæ, si nimirum pecuniam in suos usus converterit, præstandæ, l. qui sine. 38. ff. eod. d. l. 3. §. pupillus. 4. arg. l. ult. ff. de Rit. Nupt. Pacius. c. 5. q. 65. Idem observamus in tutela & curatela, l. sine. 32. §. Modestinus. 2. & seq. l. tutor. 7. §. si post. 3. ff. de administr. tut. l. quicquid. 7. C. arbit. tut. Tutel. & Cur.

XCIII. In Conditione Certi generali non veniunt fructus & accessiones, nisi à die accepti iudicij, l. cum fundus. 31. ff. de reb. Cred. adeoque à tempore litis contestatæ omnes à debitore restituendi. Vasqu. lib. 6. controu. 63. n. 40. In cond. cert. gen.

E 3

XCIV.

Condit.
indeb.

XCIV. Conditione verò indebiti conventus, si indebitum ex errore solutum accepit, illud, ne cum aliena jactura locupletetur, cum omni fructu & accessione restituere tenebitur, etiam si fructus ante moram sint percepti. §. *item is. 6. inst. de oblig. que quas. ex contr. l. indebiti. 15. l. in summa. 65. §. Ei qui. 5. ff. l. 1. C. de Condit. ind. l. videamus. 38. §. item si. 2. ff. de Vsur. VVesemb. parat. ff. de Condit. indeb. num. ult. in fin. Rennem. p. 4. Disput. 13. th. 41. Non itidem usuræ præstandæ. d. l. 1.*

Ob caus.
dator.

XCIV. Similiter in Conditione ob causam datam causâ cessante dabitur restitutio cum fructibus. l. *videamus. 38. in pr. ff. de Vsur.* Quamvis per dantem steterit, quominus ea causa impleta fuerit. d. l. 38. §. 1. l. *qui se. 7. §. fundus. 1. l. cum quis. 12. ff. de Condit. ca. da. ca. non sec.* De Conditione verò ob turpem causam, *Vide sis. l. idem. 4. §. quotiens. 2. ff. de Condit. ob turp. caus.*

Ob turp.
caus.

Incondit.
furtiv.

XCVI. Insuper in Conditione furtiva fructuum ratio tenenda. Nam si alicui res furto ablata, peti fructus simul cum re ipsa poterunt, per l. *in re furtiva. 8. §. novissime. final. ff. de Condit. furt. l. in pecudum. 28. ff. de Vsur. l. bona fidei. 48. §. & ovium. 2. ff. de acqu. rer. dom.* Nec hoc tantum de fructibus perceptis, sed & percipiendis, sive extantibus, sive consumptis, tam ante, quam post litem contestatam perceptis intelligendum, §. *et si. 2. inst. de Offic. Iud. l. litigator. 2. C. de fruct. & lit. exp. Ampliss. DN. Praeses in Observ. de Condit. furt. num. 8.*

In donat.
int. Vivos.

XCVII. In Donatione inter vivos simul cum re donata omne jus, omnis utilitas & causa in donatarium transferenda est. Poterit tamen ante traditionem adhuc fructus perceptos donator lucrari suosq; facere, cum nemini sua liberalitas damnosa esse debeat, l. *in edibus. 9. §. ex rebus. 1. l. cum de modo. 11. ff. de donat.* Nec usuræ quoque exigere poterunt, l. *liberalitatis. 58. ff. de Vsur.* Nec mora attendenda, per l. *Arist. 18. §. ult. l. cum qui. 22. ff. eod. l. ad res. 62. ff. de edil. Edict. l. si extraneus. 33. de iur. tot. l. in ter. 19. §. final. l. ne liberalitate. 50. ff. de Re iud. Ant. Fab. in Cod. lib. 4. tit. 4. def. 8.* Quæ tamen omnia procedunt ante acceptum iudicium, ubi mora donatori non obstat. Nam post acceptum iudicium seu litem contestatam perceptos tantummodo lucrabitur. *Schrader, tract. feud. 2. part. 9. part. princ. sect. 3. num. 1. Nec dum*

dum autem consumptos & extantes maximè restituere cogetur. per l. Nefennius. 41. §. fundum. 1. ff. de Re iudic. Et in hoc præferetur donator alijs possessoribus, quibus post litem contestatam nihil planè fructuum relinquitur. l. litigator. 2. C. de fruct. & lit. exp. l. certum. 22. C. de R. V. Et tùm à tempore moræ usuræ, non ut usuræ, sed tanquam interesse petuntur. Berlich. p. 2. conclus. 38. n. 2. Quod etiam hodie in omnibus bonæ fidei judicijs, & stricti juris contractibus strictim observari testatur Carpzov. lib. 4. Resp. 64. tit. 7. num. 8. Quod si donatarius ingratum sese erga donatorem gesserit, à die revocationis & ex tempore commissæ ingratitude fructus percepti restituendi erunt, l. his solis. 7. C. de revoc. donat. Schrader. tract. feud. 2. p. 9 p. pr. sect. 3. n. 29.

XCIX. In Donatione propter nuptias, quæ fermè ijs- In donat.
dem passibus cum dote ambulat, Novell. 97. cap. 1. & 2. & Com- propt. nupt
pensatio ac pignus dotis, item Antipherna, l. cum multa. 20. C. de
donat. ante nupt. Germanicè Gegenvermachniß dicitur, maritus
durante & constante matrimonio semper fructus perceptos &
acquisitos lucratur. Novel. 61. c. 1. Vesemb. parat. ff. de iur. dot. n. 11.
quæ soluto itidè matrimonio ad eum revera est, sur. arg. c. donatio,
8. §. sane soluto. extr. de don. int. Vir. & Vx. Hartm. Pistor. lib. 1. q.
14. n. 34. Post mortem tamen mariti poterit mulier jure uti retenti-
onis, pro consequendis fructibus ex tali donatione debitis,
donec de his plenariè satisfactum illi fuerit. l. que omnia. 25. in
fin. cum l. seq. ff. de procur. l. ait Prator. 1. §. is autem. 4. ff. de superfic.
Carpzov. d. l. C. 25. def. 10. n. 2.

XCIX. Visis nunc plerisque actionibus, pauca de fru-
ctuum ratione in bonis liberorum, in bonis mariti & uxoris, in
bonis feudalibus & emphyteuticis, in dotalitio & vitalitio,
& tandem in bonis ecclesiasticis habenda subjungemus.

C. Circa bona liberorum distinguimus inter castrensia In bonis
& quasi, inter adventitia & profectitia. In illis filiusfamilias liberorum.
loco patrisfamilias habetur, ideoque fructus omnes ex ejusmo-
di bonis acquisitos & perceptos lucrabitur suosque faciet, nec
ulla ratione ususfructus vel proprietas ad patrem devolvetur.
S. igitur. 1. inst. per quas pers. cui acqu. pr. inst. quib. non est perm. fac.
test. In his verò puta adventitijs & profectijs, quæ filijs extrin-
secus

Secus siue ex bonis paternis, siue maternis, siue ex testamento, siue ab intestato proveniunt, proprietate & dominio eis integro servato, tam naturalibus quam adoptivis parentibus, nihil aliud, nisi ususfructus & plena administratio usque ad tempora vitæ, jure scilicet patriæ potestatis, per filiosfamilias acquiritur. *in fin. inst. de acquis. per arrog. d. §. 1. per quas pers. acqu. l. cum oportet. 6. C. de bon. que lib. l. res que. 1. l. quicquid. 2. C. de bon. matern. Hartm. Pistor. p. 4. q. 11. n. 1. & obs. 16.* In quo tamen Ius Saxonicum à jure communi discrepat; Nam secundum illud pater ususfructum in bonis liberorum adventitijs non ad tempus vitæ suæ retinet, sed saltem usque dum filius patriâ potestate liberatus à mensa separetur, nisi prohibeatur. *DN. Carpzov. I. f. p. 2. C. 10. def. 7. n. 3. & 5. & eadem Constit. def. 10.*

In bon. conjugum CI. De bonis Conjugum de jure communi obtinuit, quod, quemadmodum ipsa dos ad maritum spectat, sic quoque augmentum & fructus rei dotalis, naturales, industriales & civiles, percepti & percipiendi, constante tamen matrimonio mariti sint, etiamsi ultimo anno, quo matrimonium solvitur, sint percepti, habito tamen respectu ad tempus, pro quo maritus onera matrimonij sustinuit. *l. dotis. 7. l. plerumque. 10. §. sed fœdus. 3. l. quamvis. 75. ff. de iure dot. l. etiamsi. 8. l. pro oneribus. 20. C. eod. l. queris. 28. ff. de pact. dot. l. Lucius. 21. ff. ad municip. l. si fundus. 8. ff. solut. matrim. Princ. inst. quib. al. lic. vel non. Reinking. de iur. Re tract. q. 8. num. 75. Fachin. 2. controv. 14. Carpzov. de iur. fœmin. sing. decad. 1. posit. 3. n. 2. Vesemb. par. ff. de iur. dot. n. 7. Quod & ad extantes fructus extenditur, quos suos irrevocabiliter facit. *Carpzov. p. 3. C. 24. def. 1. & Const. 32. def. 6.* Et eatenus melior est conditio Conjugis, quam bonæ fidei possessoris & Vlufructuarij ad quos tantum fructus perceptos pertinere, pendentes verò seu stantes ad proprietarium transire constat. *ex l. si fructuarius. 13. ff. quib. mod. us. am. l. defuncta. 58. & in l. arboribus. 12. §. si fur. 5. ff. de Vsufr. §. is verò. 36. inst. de R. D. l. certum. 22. C. de R. V. Hartm. Pistor. lib. 1. q. 24. num. 9. & 16. & DD. communiter.**

CII. Hoc tamen de illis bonis, quæ mulier sibi pactis dotalibus reservavit propria, v. c. paraphernalibus nullatenus intelligen-

telligendum, siquidem fructus ex hisce provenientes, sive naturales, sive industriales, sive civiles, invitâ & contradicente muliere maritus non lucrabitur, *l. hac lege. 8. C. de pact. convent. tam sup. dot.* quantumvis uxor illos custodiae mariti commiserit. *l. si ego. 9. §. ceterum. 3. ff. de iur. dot. Carpzov. lib. 5. resp. 64. tit. 7. n. 1. & p. 3. C. 25. def. 3.* Nisi sint marito traditi, ut & ejus fierent, & is illos ceu rem propriam possideret & consumeret; tum enim suos faciet. *l. final. C. de pact. conv. tam sup. dot. Matth. de Afflict. dec. 44. n. 5. & seqq.*

CIII. Cæterum prædicta procedunt de jure Civili: Aliud autem obtinuit in foro Saxonico, utpote marito magis favorabili; Nam ibi Vxor & Maritus semper existunt in bonorum communione, & sic ad vitæ suæ tempora omnia bona promiscue & æqualiter, vel pro indiviso seu communiter, nullâ omnino distinctione dotalium & paraphernalium bonorum attentâ, possidere illisque uti possunt. Vnde, quicquid Vxor matrimonio durante industriâ suâ acquisivit, lucro viri cedit, quicquid insuper uxori forsan donatum, vel aliunde jure hæreditario obventum, aut pecuniâ illius, sive mobile, sive immobile, comparatum fuit, marito ratione ususfructus accensebitur, *Carpzov. de jur. foemin. singul. decad. 1. posit. 3. num 21. & lib. 6. resp. 51. tit. 6. n. 14. ac j. f. p. 3. C. 32. def. 6.*

CIV. Et hæc utroque jure constante matrimonio obtinent. Soluta verò matrimonio adempta est marito omnis fructuum acquisitio, jure quidem Civili. *l. Vnic. §. cumque. 9. C. de Rei Vxor. act. l. in partem. final. ff. sol. matr. l. final. ff. de fund. dot. l. cum pater. 11. ff. de pact. dot.* ideoque fructus cum dote percepti uxori sunt restituendi, *d. l. Vnic. §. cum autem.* Etiam si mora in ea repetenda à muliere sit commissa, *l. si mora. 9. ff. sol. matr.* (quod tamen secus est in marito, qui matrimonio per divortium soluto propter moram non tantum ad perceptos, sed & percipiendos obligabitur. *l. si filios familias. 25. §. si post. 3. ff. eod.*) ita, ut, licet pactum de non reddenda dote intercesserit, nihilominus tamen debeantur. *l. ut autem. 16. ff. de pact. dot.* quia dos non amplius soluto matrimonio inservit oneribus matrimonij. *Hartm. Pistor. obs. 104. n. 14.* Paraphernalium quoque fructuum causa

F

ratio-

rationem administrationis suæ reddere, &, quod ad eum pervenerit, restituere tenebitur. *l. penult. ff. ad l. falcid.*

In don.
Caus.
mort.

CV. In Donatione mortis causa si hæres in traditione tergiversetur, adinstar legatorum, quibus quoad effectum exa-quata, computatio fructuum est facienda. *§. mortis. n. vers. hæ mortis. inst. de donat. l. final. C. de mort. ca. donat. Carpzov. lib. 6. resp. 20. tit. 2. n. 8.* Ipse tamen donator, ubi reconvaluerit, fructus condicere potest. *l. cum quis. 12. ff. de condict. ca. dat. ca. non sec. l. videamus. 38. §. idemque. 3. ff. de Usur. Vasqu. lib. 6. controu. c. 49. n. 3. Pruckmann. Consil. 4. n. 158.*

In dotali-
tio.

CVI. In donationis locum jure quidem statutorio, vel per conventionem, maximè tamen per jus Saxonicum, Dotalitium, patrio idiomate, *Leibgeding / Leibzucht / Witthumb und Leibzucht* / successit. Hæc vir Vxori suæ ratione dotis datæ & illatæ (quæ tamen per hanc speciem planè absorbetur; Nam in illa & dos continetur, cujus dominium uxor pro ea acceptando ususfructum, amittit. *l. quisquis, 28. C. de donat. Pistor. d. q. 4. n. 24.*) in suis bonis jus utendi ad tempus vitæ concedit. Constante tamen matrimonio maritus in dotalitio crescentes fructus percipere & lucrari valet, nec aliter, quàm prædefuncto marito, & sic post mortem mariti demum quoad fructuum perceptionem dotalitium hoc in vidua relicta sortietur effectum. *Pistor. d. l. num. 27.* Nec tantum in mobilibus, sed etiam immobilibus, allodialibus & feudalibus id constitui testis est *Carpzov. p. 2. C. 42. def. 2. n. 3. & seq. & num. 7.* Plerumque tamen talis dispositio inter Nobiles servari solet: Puta, si mulier quædam certam summam in dotem marito inferat, illa duplicata ex bonis prædefuncti mariti illi redhibeatur, ut habeat, quo se pro sua conditione honestè exhibere & sustentare, suamque familiam alimentis & sufficientibus vitæ commodis prospicere valeat, *Rennem. p. 2. Disp. 28. th. 13.*

In feudali-
bus.

CVII. Pergendum jam nobis erit ad feudalialia. Vbi ex feudo concessione domini ad Clientem seu Vasallum omnes fructus & proventus pertinent. *2. feud. 8.* In tantum, ut Vasallus iuvitus domino de fructibus feudi quippiam largiri non teneatur. *Hartm. Pistor. lib. 3. q. 25.* Cæterum cum fructus maximè circa

circa tempus mortis dubitationem quandam recipiant, feudumque post obitum Vasalli vel ad descendentes, vel ad Collaterales, vel quoque finitâ familia, vel denique feloniâ in dominum commissâ ad ipsum dominum vel novum ejusdem Vasallum devolvi soleat, & sic fructuum divisio & adjudicatio attendenda, quatenus nimirum inter hæredes & feudi successores fructus dividendi, operæ pretium facturi existimabimus, si casus illos paucis evolvamur.

CIIX. Quando itaque mortuo Vasallo Descendentes supersunt, indubiè fructus ex feudo provenientes tam masculis, quam fœminis attribuendi. Idque ideò, quod defunctus bona sua ad hæredes quoscunque transmittit jure hæreditario: adeoque fructus quoque ad hæreditatem, quæ absque omni discrimine sexuum defertur, pertineant. *l. post. 2. §. hæc hæreditas. 2. ff. de su. & legit. her. arg. l. cum oportet. 6. §. non autem. 2. vers. & si quid. C. de bon. qua lib. l. in adibus. 9. §. ex rebus. 1. ff. de donat. Schrader. tract. feud. p. 7. c. 3. n. 10. & 11. Hartm. Pist. lib. 1. q. 24. n. 81.*

CIX. Hoc tamen non procedit, si feudum deficientibus hæredibus descendentibus ad Collaterales, puta fratres vel agnatos ipsius defuncti Vasalli descendat; tum enim fructus ultimi anni, quo Vasallus mortuus est, inter hæredes Vasalli & feudi successores pro rata temporis dividendi. *Vvesemb. in tract. feud. c. 9. & 10. n. 5. & lib. 2. Consil. 93. n. 8. 9. & 10. Propter operas nimirum & onera feudalia, quibus Vasallus domino feudi est obnoxius. 2. feud. 5. §. 1. & 2. feud. 6. & 7.*

CX. Verùm quando feudum propter generationem finitam iterum ad dominum feudi redit & transit, secundum textum. *2. feud. 28. cap. 1. vers. his consequenter.* est procedendum. Ut si Vasallus ante Calendas Martias & post mensem Augustum decedat, tum omnes fructus pendentes illius anni unâ cum fundo ad dominum feudi pertineant. Sin vero post Calendas Martias usque ad Augustum exclusivè moriatur, omnes fructus illius anni, non ad dominum feudi, sed ad hæredes Vasalli spectent. *Vmmius. Disp. 21. th. 3. n. 20. Coler. de proc. Executiv. p. 2. c. 3. n. 302. Coppen. decis. 30. n. 39. Vvesemb. d. tract. feud. c. 9. & 10. n. 5. Hartm. Pist. d. l. n. 40.*

CXI. De fructibus perceptis & à solo separatis, maturis tamen (immaturos enim Vasallus non lucrabitur. *arg. l. si merces. 25. §. conductor. 3. l. Et hac. 35. §. cum fundum. 1. ff. locat. arg. l. filia. 59. ff. sol. matr. arg. l. ex sylva. 10. & seq. ff. de Vusufruct. Frider. Pruckmann. Consil. 4. n. 178. & 184.*) est extra omnem controversiam, eos perceptione Vasallo ejusque hæredibus acquiri. *l. qui scit. 25. §. in alieno. 1. ff. de Vusufr.* Sive ab ipsis hæredibus, sive eorum nomine ab alio, vel etiam casu fortuito à solo fuerint separati. *arg. d. l. 25. §. 1. vers. præterea.* Ad exemplum scilicet usufructuarij. *l. si fructuarius. 13. ff. quib. mo. us. am. Schrader. tract. feud. 2. p. 9. p. pr. sect. 3. n. 21.* Nam haut amplius feudaliū, sed allodiorum bonorum jure censentur. *Pistor. d. l. n. 38. Menoch. de arbit. lib. 2. cent. 6. cas. 560. n. 4.*

CXII. Nec distinguimus quoque inter fructus, sive illi sint naturales, sive industriales sive civiles. *d. vers. his consequenter.* Nam ad eum, qui usumfructum alicujus rei vel fundi possidet, ut in simili Vasallus, omnes fructus naturales, industriales, civiles, proprij & improprij, ex re vel propter rem percepti spectant. *l. usufructu. 7. l. omnium. 3. l. defuncta. 58. ff. de Vusufr. l. Vxori. 37. ff. de usufr. leg.* Textus quoque ille in *§. his consequenter.* generaliter loquitur, & ubi ille non distinguit, nec nos quoque distinguere debemus. *Hartm. Pistor. d. l. n. 54. Schrader. d. l. n. 41. & seqq.*

CXIII. Si vasallus ob culpam, delictum puta in ipsum dominum feudi perpetratum, vel feloniam commissam ipso jure vel per sententiam à domino privatur, omnes omnino fructus à tempore delicti seu felonie perceptos, pendentes, percipiendos, naturales, industriales, & civiles, sive sint consumti, sive ex illis locupletior tantum sit factus, sive maturi, sive immaturi, seu seminati, sive collectioni destinati, restituere tenetur. *arg. l. hæredes. 1. C. de his quib. ut indign. hæ. ans. arg. l. videamus. 38. §. quidem. 1. ff. de Vsur. Rosenthal. de feud. concl. 42. n. 30. & seq. Schrader. d. l. n. 34. & 42.* Imò nec fructus ex melioramentis perceptos lucrabitur. *l. in Emphyteuticariis. 2. C. de iur. Emphyt. d. l. 1.* Nec impensas in culturam agrorum vel fructuum deducere poterit. *DD. dd. ll.* Nam post delictum seu feloniam commissam in

sam in mora & malæ fidei possessor æstimandus est. *Schrader. d. l. num. 45.*

CXIV. Prædicta jure Communi observantur: De jure verò Saxonico quoad naturales fructus dispositum, ut illi fructus pendentes, qui nullam industriam & curam hominis requirunt. v. c. poma, pira, ligna, gramina, cerasa, &c. *l. pomum. 8. ff. de servit. cessante juris Saxonici ratione, quæ tantummodo circa culturam & curam versatur, ad feudi successores transmittantur, novoque possessori assignentur. arg. l. hic titulus. 1. §. generaliter. 1. ff. de legat. præstand. Et articul. LandRecht. 58. titul. 2. Hartm. Pistor. dict. q. 24. num. 84. Carpzov. p. 3. Const. 32. d. 24. n. 6. & 7.*

CXV. Circa fructus industriales eodem jure distinguimus inter fructus ex agro seminato & rastrato, & inter fructus ex vindemia provenientes. De illis ordinatum: quod omnes indistinctè qui modò ex semine à Vasallo vivente adhuc rastris subactò proveniunt, jure culturæ & curæ, cujus solius jus Saxonicum rationem habet, hæredibus allodialibus sint deferendi. *LandRecht. lib. 2. artic. 58. & lib. 3. art. 76. Coler. de process. Execut. p. 2. c. 3. n. 303.* Quod & ad fructus in hortis crescentes, & insimul industriam quandam requirentes, quales rapæ, lactuca & alia legumina ad victum hominis destinata, merito extendendum. *Carpzov. p. 3. C. 32. d. 2. n. 3.* Si verò ager quidem aratus, nondum tamen tempore mortis vasalli confitus vel rastratus, num tum quoq; fructus prædicti ad hæredes transitorij, dubitatur. Sed per textum in *LandRecht lib. 2. art. 58.* ad novum possessorem devolvendos esse placuit. *Berlich. p. 3. concl. 43. n. 60.* Sumtus tamen in culturam & fationem facti hæredibus merito sunt restituendi. *l. quod in fructus. 46. ff. de Vsur. l. fundus. 51. ff. famil. herisc. l. fruct. 7. ff. solut. matr. Coler. d. l. n. 304.*

CXVI. In Vineæ fructibus, cum inter industriales referantur. *Pistor. d. l. n. 89.* quoad perceptionem certum quoddam tempus communiter solet à DD. constitui. Ut, si possessor ante diem Urbani decesserit, fructus cum vindemia simul ad novum possessorem sint transitorij: sin verò post præfixum

tempus mortuus sit, ad defuncti hæredes devolvantur. *Berlich.*
p. 3. conclus. 43. n. 63.

CXVII. Quoad fructus verò civiles tempus cessionis spectandum; Nam si dies eorum tempore mortis vasalli & sic vivente ipso cesserit, ad hæredes allodiales pertinebunt: sin verò nondum cesserit, ad feudi successores transeunt. *Vultei. lib. 1. feud. cap. 11. num. 111.* Quoniam fructus civiles non poterunt dici percepti, antequam dies illorum cesserit, & deberi fructus inceperint. *arg. l. si operas. 26. ff. de Vusufruct.* Quod tamen jure Saxonico sub limitatione intelligendum: Nisi intra diem trigessimum post mortem possessoris & vasalli dies quoque venerit; Nam intra hoc tempus hæreditas pro jacente æstimatur: Adeoque ex æquitate hæredes allodiales ad fructus interim percipiendos, exclusis feudi successoribus, admittendi. *Landes Recht lib. 1. art. 22. Pistor. d. l. n. 95.*

CXVIII. Idem observari statuimus in dotalitio, cujus superius thesi 106. mentionem fecimus, de jure Communi, ut quam primum modo maritus mortuus fuerit, vidua fructus nondum perceptos lucrari poterit. *Matth. Coler. p. 2. dec. 261.* Quoniam fructus simul cum fundo dotalitio ad viduam, utpote Vusufructuariam transferuntur: Vusufructu verò, maximè annuo, statim incipit Vusufructuarius uti frui, & ita fructus in continenti cedere viduæ à tempore mortis testatoris, vel ad minimum à die aditæ hæreditatis. *l. 1. ff. & Cod. quand. d. leg. ced. l. si pendentes. 27. in pr. ff. de Vusufr.* Sed de jure Saxonico fructus ex agro confito rastrisque vivente ad huc marito subactò & consolidato, non ad viduam, sed pro cultura & cura ad mariti hæredes spectant, per *Landes Recht lib. 2. art. 58. & lib. 3. art. 77. Hartm. Pistor. d. l. n. 82.*

CXIX. Et hæc, quæ diximus de mariti hæredibus, eadem verò in viduæ hæredibus, ratione culturæ ac laboris procedunt, ut sic simili jure gaudeant. *Matth. Berlich. part. 3. concl. 43. n. 52. & seqq. Coppen. decis. 30. n. 17. per l. defuncta. 58. ff. de Vusufr.*

CXX. De Vitalitio, Germanicè *LeibZins zum gedingen* In Vitali. quod maritus uxori in annuis redivibus post mortem solet concedere
tijs.

cedere, contra rationem, in *l. qui hoc anno. 42. num. 5. & 6. ff. de Verbor. Oblig.* qui ante diem in vitalitjs nihil omninò deberi existimat, statuimus, pro rata temporis, quoad defuncta persona vixerit, ejusmodi fructus nondum perceptos inter hæredes mariti & uxoris esse dividendos & distribuendos, *Vvesemb. lib. 3. Consil. 93. Carpzov. p. 3. C. 32. d. 19. n. 9. & alt.*

CXXI. Sequitur Emphyteusis: Ex hac Emphyteuta ^{In emphy-} omne incrementum Emphyteuticum ^{teuticis-} ratione juris utendi fructuendi lucrari & sic fructus quomodocunque suos facere potest, *l. item si. 9. §. huic. 4 ff. de Vsufr. l. in re mandata. 21. C. mandat.* Nec tantò perceptos, verùm etiam pendentes, ratione canonis, ad quem solvendum annuatim est obligatus, *l. in Emphyteuticariis. 2. C. de iur. Emphyt.* Et in hoc differt ab Vsufructuario. *Schurff. Consil. 40. num. 3.* Nec solùm ipse Emphyteuta, sed & ipsius successores fructibus ex re emphyteutica provenientius tamdiu uti frui poterunt, quamdiu ex lege contractus annuam pensionem sunt solvendi, *Donell. 9. Comment. de iur. Civ. c. 14.* Nisi Emphyteuta ob justam causam declaratione & voluntate domini Emphyteusi privetur; tum enim privatione illà factà non ulterius poterit fructus percipere. *Fachin. 2. controuv. iur. c. 94.* Quod tamen ad illum casum, quo per mortem possessoris, vel alià causà absque culpa sua jus ejus finitur, quoad fructus perceptos & pendentes non est extendendum, Nam hoc in casu maximè secundum regulam *l. divortio.* fructuum erit ineunda ratio, ut pro rata temporis, quo jus hocce constitit, fructus ad hæredes quoque proveniant, *Pistor. lib. 1. q. 24. n. 32. Coppen. decis. 30. n. 24.*

CXXII. Quoad bona Ecclesiastica jure quidem Canonico ^{In bonis} corundem omnium fructus, redditus, decimæ & obventiones ^{Ecclesia-} illorum sunt, quibus legitimè & ritè à Pontifice, vel patronis ^{sticis.} seu collatoribus, ut dignis, conferuntur, *c. cum secundum. extr. de præbend. c. Ecclesiasticis. 12. q. 11. c. cum contingat. c. cum in tua. extr. de præbend.* Nobis verò cum hic tantummodo de tempore vacationis, quando nimirum beneficiatus mortuus, sermo sit, num fructus beneficij hæredibus debeantur, an verò successoribus beneficij relinquendi sint, cum Canonistis statuimus: fructus à beneficiario tempore administrationis perceptos ad hæredes

redes transmitti, pendentes verò & extantes, & quorum dies solutionis nondum cessit, successoribus ejusdem beneficij futuris deferri, *c. quoniam quidam. 81. dist. can. non liceat. 12. q. 2. c. quia sepè. de Elect. in 6. c. relatum. extr. de testam. c. quia sepè. de Elect. in 6. c. relatum. extr. de testam. c. quia nos. c. presenti. de offic. ordin. in 6. Clementin. statutum. de Elect. Coppen. decis. 30. num. 25. Frid. Pruckmann. Consil. 20. num. 111. Nam quoad mortem beneficiatus æquiparatur usuario, Dom. Card. Tusch. præf. concl. conclus. 516. in voce fructus. n. 6. & 7. Utitur tamen circa fructus illos vacantes Pontifex jure suo dispensatorio, quo fructus illius vacantis anni solet vel alijs collegiatis vel pauperibus concedere, *c. si propter. de rescript. in 6. c. Vna. extr. de Verb. sign.**

CXXIII. Quod si Clericus propter delictum commissum beneficio suo privetur; licet quidem jus in re habeat, donec sit privatus, eum tamen factâ privatione ad restitutionem fructuum perceptorum & percipiendorum à die delicti, sive extent, sive sint consumti, sive quoque locupletior Clericus sit exinde factus, sive non, teneri juris est, *Cardin. Tusch. d. l. concl. 490. n. 107. Schrader. tr. feud. 2. p. 9. part. princ. sect. 3. n. 29.*

Quoad Pa-
stores Ec-
cles.

CXXIV. Veruntamen in nostris Ecclesijs Augustanz Confessioni addictis, ubi ut plurimum Clerici conjugati & hæredes relinquentes reperiuntur, non statim beneficia Ecclesiastica, siquidem sint personalia, certæ personæ ejusque solius intuitu concessa, cum Parochis seu Clericis ita extinguuntur & expirant, quasi non amplius post mortem eorundem quicquam ad hæredes sit perventurum: Sed salutariter & ex æquitate constitutum & ordinatum, ut si forsan quispiam ante diem & terminum exsolutioni & perceptioui destinatum mortem obiret, non aliter fructus, ac si viveret, pro rata tamen temporis, quoad defunctus functioni Ecclesiasticæ præfuerit, nullâ tam Civilium, quàm aliorum fructuum differentiâ attentâ ad hæredes transmittat. Vnde in tali casu salarium promissum instar mercedis famulitij, *argum. l. ex conducto. 15. §. item. 6. ff. locat. l. deserto-rem. 3. §. sed si. 12. ff. de re milit.* quod inter fructus numerandum, omnibus indifferenter hæredibus, sive ex testamento, sive ab intestato succedentibus, ceu pars hæreditatis debetur, simul-
que ob-

que obligatio ad illos transibit, §. omnis. 2. inst. de V. O. arg. l. quæ-
situm. 21. ff. de pignor. & hyp. l. si ab arbitro. 10. l. inter. 12. ff. qui satis d.
cog. l. in omnibus. 41. ff. de iudic. Carpzov. iurispr. Consistorial. tit. 11.
defin. 170

CXXV. Idem juris est quoad Census, decimas, redditus,
qui itidem, si per totum annum fuerint collecti, pro rata tempo-
ris dividendi. l. si in singulos. 4. l. cum in annos. 11. l. filia mea. 22. ff.
de ann. legat. Nam quo minus ad hæredes transmittantur, dies
ac terminus præstationis nondum existens, impedire haut va-
let, §. sub. conditione. 4. vers. ex conditionali. inst. de Verb. Oblig.
l. in lege. 45. l. in quantitate. 73. §. in diem. 4. ff. ad l. falcid. l. deducta.
58. §. ante diem. 5. ff. ad SC. Trebell. Idem quoque de fructibus in-
dustrialibus, puta fœno, cordo, oleribus & brassicis dicendum,
ne ullus mercede laboris sui defraudetur. Carpzov. d. l. def. 173.
num. 6. & seqq.

CXXVI. Insuper & aliud speciale beneficium piè & hu-
maniter, in gratitudinem & liberalitatem erga Divini Verbi
Ministros, maximè vero in compensationem operarum circa
Res Divinas præstitarum, tam in villis seu pagis, quàm oppidis,
Viduis & liberis defuncti Parochi concessum est, quod Annus
Gratiæ, germ. das Gnaden Jahr vocatur. Intra quem annum
statim à die mortis beneficiati fructus, redditus, salaria, nummi
confessionarij, honoraria itidem pro deductionibus funerum,
pro copulatione & proclamatione novorum quorundam
conjugum, pro administratione baptismi, & reliqua accidentia,
prædictæ personæ, perinde ut ab ipsomet prædefuncto factum
fuisset, percipiunt & lucrantur: Non tamen jure hæreditario, sed
tantummodo ex mera gratia & favore constituentium, Carpz.
lib. 5. Resp. 17. tit. 3. & lib. 6. Resp. 41. tit. 4. & in 7. f. p. 2. C. 5. d. 9.
num. 5. Vt & jurispr. Consistor. lib. 1. t. 12. def. 183. n. 6.

CXXVII. Qui tamen Annus Gratiæ secundum cujusque
loci consuetudinem diversimodè solet constitui. Et quidem in
terris Saxonis dimidius tantum annus Viduis est concessus,
quo fructus interim & redditus non aliter ac si Clerici adhuc in
vivi essent, possunt percipere. Quod & in Marchico solo ob-
servari testatur Coppen. decis. 30. num. 26. Neque verò receditur
ab illo

Post ipso-
rum mor-
tem.

pio instituto in Illustri Ducatu VVolfferbytano: ubi itidem semestre salarium aliaque beneficia Viduis & liberis præ defuncti Parochi reperiuntur concessa. De quo videri potest ordinatio Ecclesiast. VVolfferbytana pag. 219. Nec male huc etiam referentur fructus anni Deserviti.

Et dum ip-
si vivunt,

CXXIIX. Cæterum fructus Pastorum Ecclesiæ nostris in genere sunt vel fixi (certi, ordinarij, quos inter & nummum quadrantalem, den vier zeiten Pfennig referimus) vel accidentales seu incerti, extraordinarij. Hique vel ad officium referuntur vel ad personam: quidam ubique locorum obtinent, quidam verò alicubi. Quosdam iterum omnes Pastores in Parochia aliqua consistentes participant, quosdam saltem unus & alter: cujusmodi est pannus funebris, quo sarcophagus insternitur. Illum enim non omnes solent accipere, sed tantum Primarius. Adhæc quidam fructus singulis annis & plerisque anni temporibus locum habent: alij ad certos annos & tempus restricti sunt.

Quom. fru-
ctus. pet.

Vel Offic.
judicis.

CXXIX. Et hæc nimirum de negotijs seu causis, in quibus ratio fructuum habetur, dicta sufficiant. Iam ulterius nobis considerandum, quanam actione in judicijs fructus soleant, peti, & quando judex ex officio eos adjudicare possit. Quod ut per paucis expediamus, notandum fructus vel ex officio judicis, vel jure actionis peti. Et quidem officio judicis Nobili adjudicari queunt fructus illi, qui post Litem contestatam fuerunt percepti, *l. neque eorum. 15. ff. de Usur. Rutg. Ruland. tract. de Commissar. part. 3. lib. 7. cap. 10. num. 2. & 3.* Nam in his judex ex æquitate, sine partis aliqua requisitione præcedente, sive etiam causa Univerfalis, sive particularis, sive realis, sive personalis, fructus adjudicare solet, *l. præterea. 20. ff. de R. V. l. illud. 40. ff. petit. her. l. sed et si. 25. §. final. & 4. ll. seqq. eod. l. cum fundus. 31. ff. de Reb. Cred. l. primum. 10. ff. de Usur. Ferrariens. in form. lib. act. real. summ. simul cum fructibus. n. 1. & ibi limitationes.* Hocque fieri vigore, vi & efficacia Clausulæ illius salutaris & generalis: Peto mihi jus & justitiam administrari: & sic in Camera Imperiali observari testis est Mynsing. 4. observat. 55.

CXXX. Cæterum fructus ante litem contestatam percepti omninò per actorem nominatim & specificè in libello sunt exprimendi: aliàs de illis judex nullatenus pronunciare, nec reum

reum quoque ad eorum restitutionem condemnare poterit, d. l. partum. & l. adiles. 25. §. item. 7. ff. de AEdil. Edict. Domin. Cardin. Tusch. conclus. 502. in voce fruct. n. 1. Et tum si viâ vel jure actionis debentur, omnes illi fructus vel statim eadem actione unâ cum sorte in judicium deducendi, d. l. neque eorum. 15. ff. de Usur. l. Julianus. 13. §. si fructibus. 10. ff. de act. Emt. Vel separatim post sententiam super re principali latam eadem quoque actione, si scilicet illud actionis, quæ pro sorte competit, natura & qualitas patiatur, petendi & restituendi, l. Venditi. 2. C. de act. Emt. l. in fideicommissi. 3. §. nonnunquam. 2. l. si stipulatus. 4. §. si post. 1. in fin. ff. de Usur. l. si quis. 7. §. De fructibus. 3. ff. de Except. rei iudic. VVe-semb. ad §. etsi. 2. inst. de Offic. Judic.

CXXXI. Pro perceptis autem, adhuc tamen extantibus, necdum consumtis fructibus à bonæ vel malæ fidei possessoribus recuperandis prodita est domino Rei Vindicatio. l. qui restituere. 68 ff. de R. V. Hartmann. Pistor. Observ. 102. num. 16. Veruntamen si prioris possessoris facti simulque consumti fuerint, dominus rei vindicatione experiri nequit, sed illi agendum Conditione ex lege, per l. Mala fide. 3. C. de Condiçt. ex l. l. qui se debere. 7. §. fundus. 1. ff. de Condiçt. ca. da. ca. non sec. Schneidevvin. ad §. etsi. 2. inst. de Offic. iud. Ruland. d. l. num. 3. Vmmius. Diss. 21. ib. 4. n. 25.

CXXXII. Quod verò de Consumtis hic dicitur, illud solummodo de malæ fidei possessore debet intelligi, qui omnium etiam percipiendorum dd. ll. est reus; Nam bonæ fidei possessor de istis nullatenus conveniri potest: quamvis contra eum quoque Bartol. Conditionem sine causa per l. si & me Titium. 32. ff. de Reb. Cred. concedat. Quod tamen in judicijs Univer- salibus tantum procedere patet ex thesi 48. per l. 1. C. de petit. he- red. l. sed &. 25. §. consuluit. 11. ff. eod. idque propterea, quod fru- ctus hæreditatem augeant. l. item veniunt. 20. §. item. 3. ff. eod. Pinelli ad l. 2. p. 2. c. 4. num. 47. C. de Rescind. Vend.

CXXXIII. Cum autem fructus singulis annis quoad pretium non soleant Cujus tempus esse uniformes, in fructibus quoque interdum plus, interdum minus percipiatur, poris va- quæstionis esse solet, Cujus temporis valor in fructibus restituendis sit atten- lor hic in- dendum? An tempus condemnationis, an verò tempus perceptionis spectandum, spiciendus vel an totum hoc judicijs officio committendum.

G 2

CXXXIV.

CXXXIV. Nos prius affirmamus de fructibus intra triennium consumtis, l. in hac. 3. Vers. condemnationis tempus. ff. de Condict. tritic. l. sed mihi. 3. §. in hac. 2. ff. commod. l. is cui. 5. §. quari. 21. ff. ut in poss. legat. l. se ususfructu. 6. ff. de Usu & Usuf. Quorum onus probandi in dicentem fructus esse consumtos seu consumptionem allegantem ante triennium devolvitur, Dom. Card. Tusch. d. 2. 4. concl. 492. n. 11. 15. §. 17. Et propterea malæ fidei possessor ad æstimationem fructuum consumtotum, non in quantum illi fructus valuerunt tempore consumptionis, sed quanti plurimi illi fructus valuerint & valere potuissent, à tempore litis contestatæ usque ad tempus sententiæ latæ condemnabitur, Schrader. tract. feud 6. p. 9. p. pr. sect. 3. n. 45.

CXXXV. Quoad alterum verò communiter fructuum æstimatio seu taxatio & commensuratio juxta fructuum perceptorum quantitatem & à tempore perceptionis vel moræ instituenda est, l. curabit. 5. C. de act. Em. Clock. vot. Cam. relat. 22. n. 69. Quos nimirum non possessor, sed actor seu petitor suâ industria percipere potuisse: Nisi hic illis, qui communiter percipi potuerunt, contentus esse voluerit, per l. 2. C. de rescind. vend. Harim. Pistor. lib. 4. q. 48. n. ult.


Officium
judicis in
execut.

CXXXVI. Denique quod judicis officium concernit, illud maxime ad exequendam sententiam adhibendum, ne nimirum fructus & interesse in infinitum petantur, quamvis ultrâ alterum tantum rectè extendantur, l. arbitria. 2. §. nunc de. 8. Vers. §. quidem. ff. de eo quod cert. loc. Quamobrem si incerta fructuum restituendorum quantitas petatur, puta, si forsan fundus cum fructibus per tot vel tot annos perceptis nullosque eorum dominus perceperit, & sic non facile apparere queat, quantum singulis quibusque annis ex illo fundo percipi potuerit, tum in tali æstimatione fructuum perceptorum prius de iure communi juramento ejus, qui eos perceperit, solet stari, vel id totum arbitrio rusticorum vel vicinorum, qui fundi qualitatem & fertilitatem probe cognitam & perspectam habeant, & sic, quantus canon pro illo locando quorannis solvi consueverit, notitiam habeant, reliquis requisitis adhibitis & probatis committendum. Tusch. d. l. conclus. 500. n. 1. Pistor. lib. 1. q. 16. n. 6. In defectu autem illorum. v. c. quando arbitri inrer se de probanda quantitate seu valore fructuum discordes apparent, media via erit eligenda & secundum illam judicis taxatio faciendæ. Et tum si adhuc quædam fructuum species extiterint, ad illas restituendas reus seu possessor condemnandus est, sin verò dolo possessoris extare desierint, quanti actor in litem juraverit sine ulla taxatione damnandus. Copus. d. tract. de fructib. lib. 4. tit. 2. cap. Vn. n. 2. Maxime tamen liquidatio fructuum eorumque moderatio adhibenda. Carpzov. lib. 1. Respons.

79. n. 4. Hisce pedem figimus gratias agentes
immortales

DEO OPTIMO MAXIMO
Cui perennis honor, laus & gloria.

F I N I S.




(X2618057)

V177







B.I.G.

Farbkarte #13

UNIVERSALIS TIBVS

11

liciiis tam universalibus
is quàm personalibus,
nda restitutione, nec
ructus petantur.

1659, 6

M
PTIMO MAXIMO
TORITATE
SSIMI IURISCON-
LVSTRI JULIA

consultissimo atq[ue]
iro,

HNIO ICTO,
ORDINARIO, FA-
E ET P.T. DECANO,
ANI ASSESSORE

&c.
te suo, summo animi
ando,
VE IVRE PRIVI-
DOCTORALIBVS

DIS
SVBICIT
ing/ Hildesienfis.

AIORI.
LIS
RIDIANIS.
I,
ER I, Acad. T.
IX.

KONFRIED
UNIVERS.
ZVHALLE